Gino Doria

...Me, poor man,
my library is dukedom
large enough
The Tempest I. 2

Maquet. Or

DE VITA ET SCRIPTIS

AULI JANI PARRHASII

CONSENTINI,

PHILOLOGI SAECULO XVI. CELEBERRIMI,

COMMENTARIUS

A CATALDO JANNELLIO

REGIO BIBLIOTHECARIO, ACADEMICO HERCULANENSI ET CONSENTINO

ELUCUBRATUS;

AB ANTONIO JANNELLIO, FRATRIS FILIO, CONSENTINAE ACADEMIAE PARITER SOCIO,

EDITUS, PRAEFATIONE ET NOTIS AUCTUS.

NEAPOLI

TYPIS ALOYSII BANZOLII

MDCCCXLIV.

Ille sui Janus Saecli Varro, ille veternum
Torpentem excussit, turba magistra, tibi.
Abdita Cecropiae doctrinae claustra refregit,
In Latiumque tuas transtulit, Hellas, opes.
Nec satis est veterum quod Vatum enigmata solvat,
Ille etiam numeros concinit arte pari.
Joan. Matth. Tosc. *Pepl. Ital.* pag. 63.

CLARISSIMIS ATQUE ERUDITISSIMIS

CONSENTINAE ACADEMIAE SOCIIS

ANTONIUS JANNELLIUS S. P. D.

Quum novissem, Viri doctissimi, Aulum Janum Parrhasium civem Vestrum inter praecipuos Romanae Litteraturae instauratores ab Eruditis omnibus, qui a sua ad nostram aetatem floruerunt, merito habitum, nullum adhuc nactum fuisse sedulum scriptorem, qui praeclara eius in humaniores literas merita ea suscepisset copia et diligentia describenda, quae ipsum Janum maxime decere putabam; tanti Viri existimatione permotus, Commentarium de Vita et Scriptis eius, Patrui mei cura ac studio iamdiu elucubratum, atque a me nocturna ac diurna manu versatum, tum diligenter exscribere, tum in lucis usuram emittere studui. Quippe haud iniuria rebar maiorem ex eo opusculo gloriam nedum Parrhasio superventuram, verum etiam Italicae Litteraturae Saeculi XVI., ad quam firmandam atque exornandam ipse Janus assidue adlaboraverat. Quin etiam, quo tanto negotio satius

a me prospiceretur, notis, testimoniis auctoritatibusque quamplurimis Commentarium instruere sategi; et iis profecto notis, quae firmiorem utique ampHoremque fidem rebus a Patruo meo relatis adstruerent, et quavis fluctuatione lectorum mentes agi penitus prohiberent.

Quum autem omnia ad hunc voti finem pro viribus meis peregissem; probeque scirem ipsum hunc Janum ad inchoandam celeberrimam Vestram Academiam primos motus, primosque impulsus Patribus Vestris dedisse; nihil iustius, nihil convenientius mihi visum est, quam ipsis Civibus, ipsis illustribus Academiae Sociis primi Socii et Academici Auli Jani Parrhasii de vita, studiis et scriptis Commentarium reverenter offerre. Quumque satius etiam scirem, Vos ex vetustissimo Societatis Vestrae instituto mitioribus et politioribus studiis quam maxime incumbere, eorumque cultores non excitare modo ad ea prosequenda, sed summo etiam favore complecti: non dubito fore, quin hoc quantumlucumque reverentis animi mei argumentum Vos aequi bonique faciatis, atque grato favore excipiatis.

Dabam ex Regio Neapolitano Museo Borbonico quarto Idus Martii MDCCCXLIV.

ANTONIO JANNELLIO

CONSENTINAE ACADEMIAE SOCIO

CONSENTINA ACADEMIA S. P. D.

Commentarium de Jani Parrhasii Consentini, Consentinaeque Academiae fundatoris, Vita Scriptisque, a Patruo tuo Cataldo Jannellio viro clarissimo, ea copia, eaque diligentia, quae penes Scriptores adhuc desiderabantur, elucubratum; atque a Te notis, testimoniis, auctoritatibusque quamplurimis instructum, maiorem sane gloriam nedum Parrhasio, Patriae, eiusque Academiae, verum etiam XVI. Saeculi Italicae Litteraturae allaturum, nema potest dubitare.

Quamobrem nos, omnium Consentinorum, omnium quoque huiusce Coetus Sociorum interpretes, expectatum iamdiu opus, quod Eis comiter obtulisti, merito pergrato animo excipimus, merito collaudamus, meritoque de honore, quo Tu, Patruusque tuus eosdem sponte estis libenterque prosequuti, maximas Vobis gratias agimus.

Consentiae, Pridie Kalend. Iunias MDCCCXLIV.

Consentinae Academiae perpetuo a Secretis
ALOYSIUS MARIA GRECO.

Consentinae Academiae Praeses
ANDREAS LOMBARDIUS.

IN COMMENTARIUM

DE VITA ET SCRIPTIS AULI JANI PARRHASII

PRAEFATIO

ANTONII JANNELLII.

Quod hoc Saeculo XIX., in renascente Consentinae Academiae splendore maxime erat optandum; scilicet ut celeberrimi Philologi Consentini Auli Jani Parrhasii primi institutoris eius, et plenior simul et accuratior vitae Commentarius scriberetur; id eo ineunte a dilectissimo Patruo meo Cataldo Jannellio, Regiae Bibliothecae Borbonicae Bibliothecario, Academico Herculanensi, et Consentino, institutum et praestitum fuit; et nunc per me in lucis usuram emittitur.

Equidem non dubito quin statim mirum lectoribus videatur, quod opusculum istud tamdiu post Parrhasii aetatem a Patruo meo susciperetur elucubrandum; et magis etiam, quod anno 1807 declinante ab ipso absolutum, ab anno vero 1816 Regiis typis et impensis excudendum (1); nunc autem (1844)! et praelo sumptibusque privatis, et me curante et adnotante in publicum proferatur. Quae admiratio ut a lectorum animis dispellatur, caussaeque potiores dignoscantur, quibus tum susceptum opus fuit, tum editio intermissa; res mihi ordine altius est petenda.

§. I. Erat hic Neapoli iam inde a Saeculo XVI. in Monasterio S. Joannis ad Carbonariam Ordinis Ascetarum S. Augustini lectissima bibliotheca, quae codicum cum Graecorum, tum Latinorum, librorumque impressorum tam copia, quam pretio celeberrima efferebatur. Eam adepti testamento fuerant Augustiniani a Hieronymo Seripando eiusdem ordinis Praepo-

(1) V. Andres. *Anecd. Graec. et Lat. Prodr.* pag. XXX.

sito generali, et Sanctae R. E. Cardinali, qui Tridenti, quo Concilio praefuit, anno 1563 decimosexto Kalendas Aprilis diem supremum clausit (1). Is quidem morum sanctitate conspicuus, et summa cum eruditione parem copulans elegantiam, et sacras literas cum studiis humanitatis ratione, et exercitatione coniungens, amplam cuiusque generis codicum et librorum copiam sibi parandam curaverat (2). Verum quod ad augendam atque locupletandam hanc bibliothecam maxime contulit, antequam Monachis cederet, Antonii Seripandi hereditas fuit. Siquidem is Hieronymi frater, bonis et ipse literis egregie imbutus, praeterquam quod studiose sibi propriam adornaverat bibliothecam, longe ditiorem atque pretiosiorem nactus fuerat a Jano Parrhasio; qui ei ab adolescentia maxima familiaritate et consuetudine coniunctus, gazam manuscriptorum utriusque linguae, graecae nempe et latinae; rariorum editionum; et lucubrationum suarum in veteres scriptores, quos per viginti annos publice interpretaverat, copiam praestantissimam testamento legavit (3). Quum utraque diu frui desperaret Antonius, fatali morbo correptus; antequam fato suo fungeretur (quod attigit pridie Nonas Decembris 1531); suis Parrhasianisque codicibus et libris quo pro dignitate consuleret, heredem omnium fratrem Hieronymum nuncupavit (4). Carbonaria igitur bibliotheca non ex copiis dumtaxat Cardinalis, sed ex illis Antonii et Parrhasii quoque coaluerat.

Verum res quamvis ita se habuerit, adeo Parrhasiana supellex et numero et pretio Seripandianis antecellebat, ut ab

---

(1) V. Tirab. *Storia della Letterat. Ital.* T. VII. P. I. pag. 266. e segg. — Giustin. *Memor. Stor. Crit. della R. Bibl. Borb.*. pag. 46, e seg.

(2) V. Eosd. modo cit. ibid. — Andres. op. cit. pag. XXX. — Hortens. Landi, *Dial. Cicero releg.* et *Cic. revocat.* pag. 2. 5. 22. etc. edit. Mediol. 1534. — Pallav. *Storia del Conc. di Trento.* Lib. VI. Cap. VI. IX. Lib. VII. Cap. V. IX. XIX. Lib. IX. Cap. VIII. Aliosque.

(3) V. Andres, op. cit. pag. XXX. — Giustin. op. cit. pag. 46. — Montfauc. *Diar. Ital.* pag. 308. aliosque.

(4) V. Eosdem, ibid.

eruditissimis Isaaco Wossio (1), Nicolao Heinsio (2), Bernardo Montfauconio (3), aliisque quamplurimis eiusdem notae viris, *Parrhasii bibliotheca*, veluti ab auctore, Carbonaria salutaretur: et Clarissimus Joannes Andresius, qui negotium probe noverat, eam ex Jani libris tam impressis, quam manu exaratis fere instructam dicere non ambegerit (4). Quae sane omnia haud profecto magnam in lectorum animis excitarent admirationem, si doctorum hominum testimonia, qui Parrhasianam viserunt et celebrarunt prosa et versa oratione bibliothecam, singula in medium proferrem. Et quid m. Hieronymus Carbo, apud quem heic, Neapoli, Academia, seu societas quaedam doctorum hominum cogebatur, cui Antonius Seripandus intererat, lucubrationes Jani nostri in veteres scriptores, quorum numerum valde fuerat demiratus, celeberrima quadam elegia, adhuc inedita, ita salutavit:

Doctaque Parrhasii scripta, et memoranda per aevum.

Praeclara quoque sunt, quae Nicolaus Salernus de ipsis cecinit (5); et Pierius Cimynius (6), Bernardinus Martyranus (7) eiusdem Jani cives et auditores, nec non et alter cives eius Sertorius Quattrimanus tradiderunt (8). Verum Janus Anysius, qui Parrhasio et Antonio Seripando familiariter utebatur, ceterorum elogia longo superasse intervallo visus est. Is enim ad Decium Aprianum scribens, qui Antonium Seripandum Parrhasii hereditatem sibi vindicaturum Consentiam sequutus fuerat, nedum de lucubrationibus eius, sed de codicum etiam, et librorum gaza pretiosissima disserens, omnia, quam-

---

(1) V. Burmann. *Syllog. Epist. a viris illustr. script.* T. III. pag. 561. et 566. edit. Leidae. 1727.

(2) V. pag. 180. T. cit. eiusd. op.

(3) V. *Diar. Ital.* ubi supra.

(4) V. Op. cit. pag. XXIX.

(5) V. Salern. Sylv. et epiced. pag. 140. et seqq. edit. Neap. 1536.

(6) V. *Epist. ad Coriol. Martyran.* praepos. edit. Flav. Sosip. Charis. anni 1532.

(7) V. *Epist. ad Cardinal. de Accoltis*, ante *Comment. Parrhas. in Art. Poët. Horat.* edit. Neap. 1531.

(8) V. Ap. Nicod. *Addiz. alla Bibl. Napol. del Toppi*, pag. 87. ec.

vis poëtice, Philadelphicae bibliothecae sequentibus comparavit;

Visisti, Deci,

Opes beatas Parrhasii quoque
Missas amico, ex asse lega-
-- tas Seripando, adeo beatas;
Librorum acervos nobilium, utpote
Illis minores non Philadelphicis (1).

Tradit autem Andresius, se scriptum invenisse in schedulis Paschalis Baffii, viri de Regia bibliotheca Borbonica benemeriti, hunc ipsum legisse in quodam Catalogo bibliotecae Carbonariae, quem Tridenti confectum putabat quum Hieronymus Seripandus ibi animam efflavit, *duo mille scilicet, et eo amplius codices manuscriptos, longeque maiorem impressorum copiam tum ibi penes Cardinalem extitisse* (2). Mitto autem plura, ne operam hac una super re penitus abutar; ex quibus citra dubitationis aleam plane inferri posset; Carbonariam bibliothecam, Antonii Seripandi, et Jani Parrhasii potissimum gazis accedentibus, adeo Saeculo, quod diximus, XVI. et copia et pretio ceteris praestitisse, ut non a privatis viris, sed a principe aliquo ditissimo adornatam fuisse videretur.

Haec autem doctissimorum hominum testimonia, atque elogia praeclarissima, quum non Italiam modo, sed ceteras quoque occupassent florentes humanitate nationes; cui quaeso mirum quod Carbonariae bibliothecae adeo nobilem gloriam comparaverint apud eruditos, ut eorum quamplurimi, sive nostrates sive exteri, anxie ad eam visendam atque versandam hanc in urbem concesserint? Enimvero, ut de praestantioribus loquar, Isaacus Wossius omnium primus anno fortasse 1640 visit eam, ut ex eius epistola ad Nicolaum Heinsium, data Romae anno 1642, deprehenditur (3). Heinsius autem ad eam admissus fuit anno 1647, quemadmodum in epistola ad Gronovium sub die IV. Maii eiusdem anni plane ipse testatur (4). Neapolim quum petiisset an-

---

(1) V. Anys *Poëm.* varia. Lib. VII. pag. 97. etc.
(2) V. Anecd. cit. pag. XXX.
(3) V. Burman. *Syllog. epist.* etc. T. III. pag. 561, et 566.
(4) V. Op. cit. T. cit. pag. 180.

no 1685 Joannes Mabillonius, non modo visit, sed eam perquam diligenter versavit, et in unoquoque codice manuscripto eam manu propria exscriptionis eorum notavit aetatem, quae sibi probabilior videbatur (1). Idem fere praestitit paucis post annis, clarissimus Bernardus Montfauconius; qui anno 1698 singillatim eiusdem bibliothecae codices expendit, et quos ceteris praestantiores invenit, quam solerter, prout consueverat, descripsit (2). Quid autem de Rogissartio dicam, qui procul dubio post annum 1685 eamdem adivit (3): quid de Winkelmanno, qui anno 1758 (4), et de Bioernstaehl Sueco doctissimo, qui anno 1771 per duos dies universos Carbonariae codices contrectavit, ac aeque atque illi hactenus relati, praeclaris elogiis exornavit (5)? Hanc autem bibliothecam exteris nostratibusque eruditis adeo tribus Saeculis celebratam, variis tandem de causis, anno 1799 decurrente, in Borbonicam, quae tum potissimum parabatur, gloriosae recordationis Rex Ferdinandus Borbonius, tum huiusce nominis IV., apposito edicto inferri iussit (6).

§. II. Ex iis, quae hactenus fati sumus, facile sibi quisque in animum posset inducere; integram ipsius bibliothecae Carbonariae supellectilem nunc in Borbonica adservari, ideoque huiusce gazam manuscriptorum, accessione illius quam ditissimam evasisse. Sed res forte longe aliter, atque videtur, se habet. Quippe, praeterquam quod sint, qui haud absurde coniiciant eam Tridenti, iam inde a Cardinalis Seripandi funere, non paucis codicibus fuisse mulctatam, nonnullosque eorum tum quoque intercidisse, quum Tridento Neapolim transferrentur (7): irrefragabilibus constat argumentis, eam non semel atque iterum, sed multoties, neque una solummodo manu, acerba vulnera accepisse. Qui enim eos nacti fuerant Augustiniani, quamvis in aula, quam Hieronymus

(1) V. *Iter. Ital.* pag. 110. edit. Lutet. Paris. 1687.
(2) V. *Biblioth. Bibliothec.* T. I. pag. 231. et seqq.
(3) V. *Les delices de l'Italie.* T. IV. pag. 87. edit. Leid. 1709.
(4) V. Lettr. XI. *Au Cons. Bianconi, sur les decouvertes.*
(5) V. Lett. T. II. Lett. T. VIII.
(6) V. Giustin. op. cit. pag. 58. ec.
(7) V. Andres. op. cit. pag. XXXVIII.

in Carbonariam ad usum bibliothecae anno 1550 excitaverat, codices et libros omnes coëgissent, et per centum et amplius annos adeo religiose servassent, ut nonnisi commendatitiis clarissimorum virorum epistolis accedentibus aditus ad eam, exteris potissimum, pateret (1): attamen ipsi sensim, ut Andresius et Justinianus asseverant, ad incuriam et avaritiam declinati; corrupti ab exteris vi auri, cuius erant potius, quam librorum cupidi, bibliothecam miserrime vastarunt, et exteris emtoribus sublatos inde codices vendiderunt (2). Illud vero ceteris acerbius Carbonariae vulnus fuit, quod a Batavo Joanne de' Witt accepisse memoriae proditum est (3). Is enim Saeculo XVII. ineunte, quum petiisset Neapolim, trecenis argenteis monacho quodam Augustiniano corrupto, quadraginta rarioris notae codices ex Carbonaria surripuit, et Bataviam traduxit (4). Neque ab istis, aliis deinceps eiusdem naturae expilationibus pepercerunt Monachi; quin etiam, succrescente in animis eorum avaritia, et eae in dies evaserunt crebriores (5).

Sed alteram accessit relatis aeque grave Bibliothecae Carbonariae detrimentum, scilicet Saeculo XVIII. a Carolo VI. Imperatore Austriaco, cui tum gens Neapolitana parebat, iniuncta vastatio. Namque is Augustam bibliothecam suam Vindobonensem pro dignitate exornare et locupletare quum instituisset; permotus consilio et suasu Alexandri Riccardi ci-

---

(1) V. Giustin. op. cit. pag. 48 ec. — Doctissimus vir Nicolaus Heinsius in epist. cit. ad Gronovium testatur, se nonnisi commendatione Cl. Holstenii ad Carbonariam bibliothecam admissum fuisse.

(2) V. Andres, op. cit. pag. XXXIX. et alibi — Giustin. op. cit. pag. 55. ec.

(3) Iste procul dubio idem ipse est, qui urbi Dordracenae a Tabulario, binos Tibulli optimae notae codices MSS. tradidit Jano Broukusio, eum poëtam perpetuis commentariis instruenti, ut ex praefatione ab eodem Broukusio praeposita edit. Tibulli Amstelod. 1707, planissime patet.

(4) V. Montfaucon. *Diar. Ital.* pag. 307. — Winkelmann. Lett. XI. — Matt. Egiz. pref. al Giro del Mondo del Gemelli — Andrès, Anecd. Graec. et Lat. pag. XXXIX. — Giustin. op. cit. pag. 55 ec.

(5) V. Eosd. Ibid.

vis Neapolitani, et eiusdem bibliothecae Augustae Praefecti, rariores codices ex illis Sacrarum aedium Neapolitanarum auferri, et Vindobonam cito citius mitti iussit (1). Gestus est statim mos; atque ex una Carbonaria quadraginta fere praeclarioris notae codices in Vindobonensem concesserunt. Praestabant tamen inter eos complusculi, quos heic descriptos producere operae pretium videtur. Quippe ii erant: I. Codex Dioscoridis membranaceus, uncialibus characteribus Saeculo V., sine accentibus et eleganter exaratus, variisque insuper exornatus a perita manu depictis floribus et figuris: quem clarissimus Montfauconius quum visisset et contrectasset, non modo altero eiusdem Auctoris aeque fere vetusto codice Regiae Bibliothecae Parisiensis praetulit; *sed nullum*, ait quoque, *putare se maiori vetustate et elegantia eiusdem auctoris exemplar extare* (2). II. Codex membranaceus Saeculi fere XI., optimae notae, quo inerant Diodori Siculi opera. III. Duo Titi Livii exemplaria membranacea in folio; quorum alterum Saeculi XI. duas dumtaxat dechadas habebat; alterum vero longe plures; et quamvis Saeculo XIII. exaratum, plurimi tamen illud Parrhasius noster faciebat (3). IV. Codex Virgilii membranaceus Saeculi X. quam elegantissimus, brevibus scholiis instructus ad marginem (4). V. Duo Prisciani Codices membranacei in folio; alter Saeculi X. et alter XI. uterque vero praeclare descriptus. VI. Valerii Probi grammatica Latino-Graeca etiam Saeculo XI. in membrana descripta. VII. Servii in Virgilium Commentaria. Codex iste membranaceus, ut ad calcem eius notabatur, exaratus fuit anno 1007. VIII. Euripides in fol. Saeculi XIV. cum scholiis etiam graecis ad oram paginarum. IX. Erat pvaeterea inter Biblicos Codex Evangelii in membrana purpurea aureis characteribus quadris Saeculo VII. descriptus, ex quo numquam pro dignitate laudatus Montfauconius graecum alphabetum produxit in Graeca Palaeographia (5). X. Codex etiam membranaceus Saeculi X.

---

(1) V. Adami Francisci Kollar. *Supplem. ad Lambec.* T. I. column. 766. edit. Vindob. 1766.

(2) V. Montfauc. *Bibliothec. Bibliothec.* T. I. pag. 232. — Kollar. op. cit. column. 774.

(3) V. Kollar. Ibid.

(4) V. Montfauc. op. cit. pag. 233. — Kollar. column. 776.

(5) V. pag. 224.

habens quoque Evangelium, et quidem praeclarae notae; integer, graece descriptus. Quid autem memorem optimae etiam notae Psalteria Saeculi XI, Libros chorales, et id genus alia multa, omnia graece descripta, quae nunc Vindobonensem exornant bibliothecam? Vel quid referam alias a furibus domesticis patratas usque ad annum 1791 direptiones, vi quarum citra dubitationis aleam, non codices modo plurimi, sed aliquae editiones etiam veterum scriptorum rariores ex Carbonaria in alias bibliothecas Neapolitanas concesserunt? Equidem non alio pacto Virgilii editio Mediolanensis anni 1476 ab Antonio Zaroto Parmensi curata, cum notulis et emendationibus a Parrhasii manu; et Romana anni 1490, Epistolarum Ciceronis ad Brutum, Q. Fratrem, Octavium, et Atticum cum vita Attici scripta a Nepote; et Mediolanensis Historiarum Livii confecta anno 1505 ab Alexandro Minutiano, utraque notulis manuscriptis ab eodem Parrhasio exornata, in bibliotheca clarissimi viri Josephi Vallettae cum nonnullis codicibus Parrhasianis se curiosis aspiciendas praebebant (1). Quibus direptionibus aliquis quo tandem modus imponeretur, Rex Ferdinandus, apposito edicto sub die 29 Augusti anni 1792, superstitibus Carbonariae copiis *Bibliothecae Regiae* titulum concessit (2), et anno denique 1799, ut dictum est, Borbonicis suis adgregandas iussit.

§. III. Verum quamvis plane ex relatis liqueat testimoniis eam adeo expilatam atque dilapidatam, nihilo tamen secius ire nemo mihi potest inficias, quamplurimos quidem, et non vilis notae codices manuscriptos, cum Graecos, tum Latinos, ex Carbonaria in Borbonicam confluxisse. Equidem quum sedulo omnium utriusque linguae manuscriptorum eiusdem bibliothecae catalogos versassem; graecorum nempe a Salvatore Cyrillo, viro quippe de graecis literis benemerito, accurate et docte elucubratum: latinorum autem Patrui mei cura studioque descriptum: peramplam in utrumque offendi codicum collectionem ad Carbonariam spectantium; et inter

---

(1) V. Fabri. *Bibl. Lat.* T. I. pag. 123. 249. 195. -- Auctor. *Elogii Cl. Joseph. Vallettae*, in opere cui titulus: *Giornali d'Italia*. T. XXIV.

(2) V. Giustin. *Mem. Stor. ec. della Real Bibl. Borb.* pag. 57.

eos, Graecorum nonnullos, Parrhasii nomen praescriptum ferentes: et Latinorum sex supra centum, Parrhasionos omnes, et plerumque bonae notae. Inter Graecos insuper occurrunt nonnulli vel toti a Parrhasio descripti, ut bonae notae codex chartaceus Saeculi XV. inclinantis, qui habet *Hephestionis Enchiridion de metris*, a Montfauconio quoque inter praestantes habitus (1); vel ab eo notulis, indicibus et emendationibus exornati, additis interdum rerum argumentis ad oram paginarum. Tales profecto sunt: I. Codex chartaceus, in 8.° Saeculi XIV. desinentis, vel XV. ineuntis, habens integram *Manuelis Moschopuli Schedographiam* cum non paucis vocibus latinis graecis respondentibus, ac indicis gerentibus vicem, a Parrhasii manu (2). II. Codex chartaceus in folio *Aeschili Tragoedias* exhibens, qui multa habet ad oras paginarum excerpta ex textu latine reddita a Parrhasio, et adnotata (3). III. Codex etiam chartaceus et in fol. Saeculo XV. ad finem vertente eleganter descriptus, quo inest *Pausaniae descriptio Graeciae*, cum notis MSS. Jani Parrhasii (4). IV. Codices chartacei quatuor, quorum primus in 8.°, Saeculi XVI. ineuntis, habet *Herodoti Historias* (5); alter Saec. XV. *Eustathii Commentarium in Dionysium Periegetem* (6): tertius in folio parvo, Saeculo XV. descriptus in charta pulcherrima, non ineleganti et perluculento charactere, *Polyaeni strategicorum* libros VIII. complectitur (7); quartus tandem etiam in folio, sed Saeculi XV. ineuntis, quo insunt *Aeliani De Historia animalium libri* XVII. (8): qui porro codices notulas habent et emendationes ad margines ab ipso Jano elucubratas.

---

(1) V. Cyrill. Catal. MSS. Graec. T. II. pag. 39. Cod. XCVII. Montfauc Bibl. Bibliothec. T. I. pag. 232.

(2) V. Cyrill. op. T. cit. pag. 60. cod. CXV. — Montfauc. op. cit. pag. 232.

(3) Cyrill. T. cit. pag. 173. cod. CLXXXVI — Montfauc. ibid.

(4) Cyrill. T. cit. pag. 301. cod. CCXX. — Montfauc. idid.

(5) Cyrill. T. cit. pag. 307. cod. CCXXVIII.

(6) Id. T. cit. pag. 303 cod. CCXXIII.

(7) Id. T. cit. pag. 368. cod. CCLXXX. — Montfauc. op. cit. ibid.

(8) Cyrill. T. cit. pag. 382. cod. CCXCIII. — Montfauc. ibid.

Quid autem dicam de latinis, inter quos facile princeps omnium habendus est codex membranaceus Saeculi VII. vel VIII. qui grammaticas habet institutiones Flavii Sosipatri Charisii (1); ex quo Joannes Pierius Cyminius, Jani civis et auditor, eas omnium primus in studiosorum utilitatem anno 1532 protulit in lucem (2)? Quid de ceteris fandum, quorum plerique ab saepe saepius memorato Montfauconio describuntur, et etiam nunc in Borbonica servantur (3)? Quod vero caput est, eorum nonnulli, triginta et eo amplius numero, a Jani nostri manu vel ad margines, vel interlineares habent emendationes et scholia; plerumque indices, interdum argumenta (4). Adsunt quoque et alii inter eosdem toti a Jani manu descripti. Mitto autem lucubrationum suarum, post tot etiam passas vastationes, copiosam adhuc supellectilem, quae quindecim codicibus coalescit; quos omnes Patruus idem noster in altera huiusce Commentarii parte describit (5). Istis profecto quaedam insunt, quae doctorum hominum haud incassum etiam nunc animos detinerent; et veteri potissimum Geographiae lucem superfunderent splendidiorem (6). Quamobrem magnopere dolendum est fatum ceterarum, quae vel omnino interciderunt, vel apud exteros delitescunt; vel, quod fortasse probabilius, in studiosorum manibus versantur, auctoris nomine posthabito, et proprio ab impostoribus adposito (7).

§. IV. Constitutae atque iam biennio in publicum usum patefactae Regiae bibliothecae, apposito edicto sub die 26

---

(1) V. Jannell. *Catalog. R. Bibl. Lat. MS.* pag. 5. Cod. VIII.
(2) V. *Charis. edit. cit.*
(3) Confer sis Montfauc. op. cit. et Patrui nostri Catalog. etiam cit.
(4) Tales sunt profecto codices qui sequentibus numeris distinguuntur, scilicet: I.II. IX. XII. XV. XVII. XVIII. XXXVII. LXVII. LXXIII. XC. XCIX. CIX. CXXXVI. CCXXXVII. CCXXXIX. CCLXXXIII. aliosque.
(5) V. P. II. pag. 150. et seq.
(6) V. P. I. pag. 97. P. II. ubi supra.
(7) V. Barr. *De Situ et Antiq. Calabr.* Lib. II. Cap. VII. -- Fabric. *Bibl. Lat.* T. I. Lib. I. Cap. VIII. pag. 177. edit. Lips. 1773. -- Aliosque.

Aprilis anni 1806 (1), Clarissimus Joannes Andresius, vir profecto de universa litteratura valde meritus, praeficiebatur. Qui sibi quum demandatam provinciam susciperet, in primis partium suarum, ut ipse fatetur (2), arbitratus est: manuscriptos codices graecos et latinos quamprimum perlustrare; quae in eis delitescebant adhuc inedita, vel etiam prorsus imcomperta, notare, ut per idoneos literatos viros pararentur ad editionem; tum illorum denique, cum istorum Catalogos parandos curare. Quippe noverat, et probe quidem, vir eruditus, haud inanem gloriam sibi, et fidei suae commissae bibliothecae superventuram, si illud et ipse utcumque moveret opus, quod tantam laudem atque existimationem Joanni Iriarte Hispano Civi suo, et Christiano-Friderico Matthaeio apud eruditos omnes conciliaverat. Ille enim manuscriptorum Graecorum bibliothecae Matritensis catalogo in vulgus edito cum duobus Procli hymnis, nonnulisque aliis antea ineditis; iste, absoluto atque in lucis usuram emisso manuscriptorum etiam graecorum catalogo bibliothecae Moscuensis, aliisque penitus anecdotis in eo productis; tantam sibi uterque et bibliothecis abs se descriptis comparaverant existimationem, ut eruditionis ergo eae in ore omnium ferrentur, et faustissimis acclamationibus quoque ab eruditis salutarentur. Quae sane omnia Andresium, iam olim huiuscemodi gloriam exoptantem (3), vehementius alliciebant, et ad navandam operam excitabant. Quamobrem, rebus ad voluntatem eius fluentibus, alacriter, ut ipse inquit, operi manum admovit, et codices pervolutandos suscepit (4). In quod negotium quum incumberet, protinus, et nullo fere labore non modo plurimos vidit graecos et latinos codices, quos Aulus Parrhasius noster per plures regiones quaesiverat, et magno profecto impendio sibi coëmendos curaverat; sed eos quoque, qui lucubrationum ipsius Parrhasii reliquias, et praelectiones plures in varios aucto-

---

(1) V. Giustin. Memor. ec. della R. Bibl. Borb. pag. 133.
(2) V. Anecd. Graec. et Lat. Prodr. pag. XII.
(3) Mantuae vitam quum degeret Andresius, Catalogum bibliothecae MS. praeclarae familiae *Capilupi* anno 1797 e praelo dimisit. V. Scotti, *Elog. dell' Abate Giovanni Andres*. -- Giustin. ubi supra.
(4) V. Anecd. cit. pag. XII.

res, et commentariorum in eosdem, et epistolarum ad amicos fragmenta; et excerpta ex pluribus scriptoribus, et id genus alia multa, ad plura volumina excrescentia, continebant. Quamobrem ea continuo in animum eius cogitatio subiit et propositum, quaerendi nempe et inveniendi aliquem studiosum iuvenem, qui ex istis ipsis plurimis manu exaratis codicibus uberiorem et nobiliorem de Jano Parrhasio vitam vellet parare. Equidem non ibo ipsemet inficias, ab ipsa Jani aetate ad nostram quamplurimos viros doctos et naris emunctae litteraria Parrhasii merita soluta numeris ligataque oratione suscepisse celebranda; aliosque non paucos aeque ingenio et eruditione praestantes vitam quoque eius describsisse. Nam quem eruditorum praeterire possunt laudes, quibus Parrhasius celebratur a Paullo Jovio (1) ea dicendi felicitate, qua is, ut quidam ait (2), *in virorum illustrium elogiis profecto triumphat et regnat?* Quem ea quae prodidit Gabriel Barrius, qui *praestanti ingenio ac iudicio virum, et flagranti studio ac doctrina longe praeditum, poëtam, itemque oratorem latina graecave lingua sane quam eruditum nulli sui Saeculi secundum* Janum dicere non dubitat (3)? Cui comperta quaeso et explanata non sunt quae in laudem eius quoque habent, et quidem praeclarissimam, Caspar Barthius (4), Janus Broukusius (5), Petrus Burmannus iunior (6), Nicolaus Heinsius (7), Henricus Stepha-

(1) V. *Elog. Vir. litter. illustr.* pag. 208. edit. Basil. 1577.

(2) Pape Blount, ap. Cornian. *Sec. della Letterat. Ital.* T. IV. pag. 239. ed. Brescia 1818.

(3) De Situ et Antiq. Calab. Lib. II. Cap. VII. pag. 82. et seqq. edit. Romae, 1737.

(4) V. Praefat. in Claudian. edit. Hanov. 1612. — Advers. Lib. I. Cap. X. pag. 20. Lib. XVII. Cap. VIII. pag. 870. Lib. XXI. Cap. I. pag. 1012. etc.

(5) V. Comment. in Propert. Lib. III. Eleg. V. v. 52. pag. 284. Eleg. XV. v. 10. pag. 343. etc. edit. Amstelod. 1727. — Comment. in Tibull. Lib. I. Eleg. VIII. v. 26. pag. 150. Lib. II. Eleg. I. v. 4. pag. 207. Eleg. III. v. 27. pag. 238. Lib. IV. Carm. I. v. 67. pag. 361. edit. Amsteld. ex Offic. Wetsten. 1708.

(6) Praefat. in Claudian. cum Comment. P. Burmanni. edit. Amstelod. 1760. — Comment. in Propert. *Cynth.* Lib. I. Eleg. II. v. 19. et seq. pag. 28. Eleg. XI. v. 3. pag. 115. Lib. III. Eleg. V. v. 52. pag. 545. edit. Traiect. ad Rhen. 1780.

(7) Praefat. in Claudian. apud Burmann. edit. cit.

nus (1), Stephanus Claverius (2), Lucas Gauricus (3), Janus Anisius (4), Lancinus Curtius (5) Janus-Vincentius Gravina (6), Joannes-Matthaeus Toscanus (7), et tota praesertim pene dicerem doctorum ac eruditorum cohors amplissima, qui aetatem Leonis PP. X. adeo illustrem reddiderunt; quique sive rhetores, sive poëtae, omnes una mente, unaque voce Parrhasium, utpote principem, propriae haeresi adsciscere student?

Neque vero minoris faciendi sunt, qui Philologi nostri vitam susceperunt elucrubandam, neque numero pauciores.

---

(1) V. Epist. ad Ludov. Castelvetr. ante edit. *De rebus per epist. quaesit.* Neap. 1771.

(2) V. Praefat. in Claud. edit. Paris. 1602.

(3) Op. T. II. Tract. IV. pag. 1635.

(4) V. Poëm. etc. Lib. III. pag. 66. et seqq. Lib. V. Satyr. IV. pag. 93. edit. Neap. 1565.

(5) V. Poëmat. etc. edit. Mediol. 1521. -- Inter excerpta, quae infra commemorabo, data a Mazzuchellio ad Andresium adsunt nonnulla Lancini Curtii epigrammata, ex quibus illud dumtaxat heic producere lubet, quod etsi latino exaratum, ad illud tamen poëmatiorum genus, quoad rhythmum, referendum est, quod ab Italis vulgo dicitur *Sonetto* (V. Quadrio, Della Ragione d' ogni Poesia, T. III. pag. 8. ed. Milano. 1742.). En Curtii epigramma:

Ad Janum Parrhasium Neapolitanum.

Quod veri amoris fecimus inditia
Non falsa tecum, vir bone, praeposito
Sermone, vulgi a murmure seposito,
Mecum offero rem, mutua et offitia.
Doctrina, virtus et paria initia
Curare mandant iam tua; deposito
Corde ergo fido in foedera te posito,
Me, Jane, stringas candida amicitia.
Error facessat pectore, vis odii
Ac ambitus Vatum. An grave erit sinere
Me ferre gradum culmine sub podii?
Tu lumen ingens tempore desinere
Quod non potest sis: me satis ex cinere
Ferri ut favillam est. Hic modus exodii.

(6) V. Opusc. pag. 115. et seq. edit. Romae, 16..

(7) V. Peplum Ital. pag. 63.

Inter eos tamen ceteris praestantiores haud iniuria habebimus eumdem Paullum Jovium (1), Angelum Spera (2), Joannem Baptistam Tafurium (3), Marchionem Spiriti (4), Xaverium Matthaeium (5), Hieronymum Tiraboschium (6), Petrum Signorellium (7), Josephum Antonium Saxium (8), Petrum Bayle (9), Novi Dictionarii Historici, et Biographiae Universalis auctores (10), Ginguenerum (11). Sed haec, ut quisque videt, plenioris et iusti commentarii desiderium non implent, sed plane crescunt, et flagitant. Quamobrem Andresius, qui haec fortasse ipse quoque pertentaverat, collectis omnibus lucubrationibus, excerptis et fragmentis epistolarum familiarium Parrhasii; collectis quoque excerptis habitis ab eruditissimo atque humanissimo viro Petro Mazzuchellio, Mediolani Bibliothecae Braidensis bibliothecario, cui ad rem epistolas ipse dederat: propositi tenax, iuvenem qui illud compleret quaesivit; tum ut Parrhasii merita satius nobis innotescerent; tum ut pro tanta litteraria gaza, quasi heredes, suscepta, dignam utcumque gratiam eius Manibus videremur referre.

§. V. Forte Patruus meus Cataldus Jannellius tunc temporis studiorum ergo praeclaram hanc incolens Urbem, et

(1) V. Elog. cit.

(2) De Nobilit. profess. grammat. lib. IV. pag. 451. edit. Neap. 1641.

(3) V. Istor. degli Scritt. del Regno di Nap. T. IV. pag. 236. e segg.

(4) V. Memor. degli Scritt. Cosent. pag. 24, e segg.

(5) V. Vit. Parrhas. praeposit. edit. de Reb. per epist. quaesit. Neap. 1771.

(6) V. Istor. della Letterat. Ital. T. VII. P. III. pag. 385. e seg. ed. Roma. 1785.

(7) V. Vicende della Coltura ec. T. IV. pag. 239. ed. Nap. 1785.

(8) V. Histor. Typograph. Litter. Mediolan. column. CCCCXXVI. edit. Mediol. 1745.

(9) V. Dictionnaire Historiq. et Critiq. Vol. III. pag. 598. et suiv. Article. *Parrhasius* edit. Amsterd. 1730.

(10) V. Nuovo Diz. Istor. T. XX. pag. 174, e seg. ed. Nap. 1791. — Biograf. Univers. T. XLII. pag. 464. ed. Ven. 1828.

(11) V. Histoire de la Litterat. Ital. T. VII. pag. 214. edit. Paris. 1819.

Clarissimo Andresio, quem colebat, notus; visus utique ipse est, quem Andresius ipsemet ad suscipiendum plenum Parrhasianae vitae Commentarium enixe hortaretur. Cuius praestantissimi viri votis tanta alacritate et cura Patruus respondit, ut anno 1807 desinente, omnibus Parrhasianis codicibus manuscriptis pervolutis et lectis, optato Commentario finem imponeret; et de eo deinceps idem Andresius in Prodromo suo haec scriberet: *Multa possem de Jano Parrhasio verba facere, plurimisque et insignibus doctissimorum virorum testimoniis litteraria eius merita celebrare. Sed missa ea facio, cum Parrhasii vita a viro erudito Cataldo Jannellio huius Bibliothecae Scriptore Regiis typis quamprimum edenda sit* (1). Mitto cetera.

§. VI. At idem Patruus meus aliquot post menses a Commentarii absolutione, in eiusdem Regiae Bibliothecae Scriptorem adsumptus (2), et natura muneris ad alios atque alios volvendos et excutiendos codices manuscriptos destinatus, et potissimum ad exscribendum, restituendum et criticis dissertationibus illustrandum Perottinum novarum fabellarum codicem (3); Parrhasianum Commentarium seponendum, et ad aliud tempus editionem eius reservandam ratus est. Quin Phaedriana editione tribus vel quatuor voluminibus anno 1811 confecta; in nervorum morbum, quem vocant, illapsus, omnes fere litterarias curas usque ad annum 1816 intermittere coactus fuit. Deinde ad alia et diversa studia quum animum appulisset, anno 1817 edidit: *Saggio sulla natura e neces-*

---

(1) V. pag. XXIX.

(2) *Nel dì 11 Giugno 1808* (ad rem Justinianus, Memor. cit. pag. 150.) *fu poi provveduto in qualità di Scrittore l' Abbate D. Cataldo Jannelli, assai bene istituito negli ameni studii, e pieno di buona intenzione per soddisfare il Prefetto, e ricercar nuove cose letterarie.*

(3) De hac re ita habet Andresius: *Interea cum designatus fuisset Bibliothecae Scriptor Cataldus Jannellius iuvenis studiosissimus, atque eo litterarum amore, eaque antiquorum Scriptorum eruditione paratus, quae ad istiusmodi lucubrationes desiderantur, id ei negotii dedi, ut totum codicem* (Perottinum), *qua par est diligentia describeret, suisque notis et dissertationibus illustraret: quod ille adeo religiose fideliterque, adeo luculenter copioseque praestitit, ut nihil ultra curiosioribus, difficilioribusque grammaticis requirendum reliquerit.* V. pag. XLV. Prodr. cit.

sità della Scienza delle Cose e delle Storie umane. Anno 1827. *Catalogum Bibliothecae Latinae Veteris et Classicae Manuscriptae, quae in Regio Neapolitano Museo Borbonico adservatur.* Anno 1830. 1.° *Fundamenta Hermenentica Hierographiae Crypticae veterum gentium.* 2.° *Hieroglyphica Aegyptia ex Horo-Apolline, aliisque veteribus Scriptoribus etc. selecta.* 3.° *Tabulae Rosettanae Hieroglyphicae interpretationem.* Anno 1831. *Tentamen Hrmeneuticum in Hierographiam Crypticam veterum gentium* etc. Anno 1840. 1.° *Tentamina Hierographica, atque Etymologica*: 2.° *Tentamen Hermeneuticum in Etruscas inscriptiones, et Tabulas Eugubinas latina interpretatione tentatas.*

Mitto autem alias nonnullas lucubrationes ad rem Archeologicam pertinentes toto hoc tempore in lucis usuram emissas: quae omnia ut quisque nullo labore sentit, eum sibi totum in his studiis vindicarunt.

§. VII. Attamen haud erat in fatis, ut descriptus tampridem Parrhasianae vitae Commentarius diutius in tenebris premeretur. Nam quum studiorum ergo egomet ex Lucana patria, Burgentia, in hanc urbem concessissem, literisque politioribus et Historiae litterariae operam navassem diuturnam, ac nossem ex omnibus a me superius citatis auctoribus (1), quantus vir fuisset Parrhasius, et a quibus et quam multis laudatus; et animum meum insuper non leviter perculisset iudicium Clarissimi Andresii, de utilitate plenioris Parrhasianae vitae Commentarii, Patrui mei curâ ac studio tampridem elucubrati; scilicet: eum *non solum Parrhasio et Neapolitanae eruditioni maius nomen decusque allaturum*; *sed, cum Parrhasius in multis civitatibus per totam Italiam scholas habuerit, uberiorem magisque distinctam totius Italiae litteratae cognitionem nobis aperiturum* (2); et sentirem quoque pleniorem hanc ipsam vitam ab eodem Patruo meo, ob pertinacissimum illum nervorum morbum, gravem aetatem, et alia diversissima absolvenda studia edi brevi non posse: tum quidem egomet in publicam lucis usuram eam emittere, et,

---

(1) V. pag. XVIII. et seqq.
(2) V. Prodr. cit. pag. CIII.

si opus esset, ampliori notarum copia illustrare atque exornare decrevi. Quod meum consilium quum Patruus probasset, illico manus operi admovi (mense Sextili 1842), et plurimas adnotationes Patrui iamdiu amissas atque deperditas, novo labore, novisque disquisitionibus reparare pro virili sategi. Quin etiam, quo litterariae gloriae Consentini Philologi per me satius prospiceretur; duas eius epistolas ad Joannem Baptistam Pium Bononiensem, totidemque ad Aldum Pium Romanum, adhuc, ut colligere potui, ineditas; nec non et omnia poëmatia eiusdem Parrhasii, quorum auctoritatem non semel iterumque ad illustrandum Commentarium usurpabo, loco Adpendicis, eidem Commentario adnectere perutile censui. Epistolas immo philologicis adnotationibus illustravi; et praesertim illas ad Aldum Pium, quo lectiones castigatiores, quae in Aldinis editionibus Catalectorum Virgilii anni 1517 et 1534 planissime occurrunt, et aliis philologis iniuria tribuuntur, eidem Parrhasio vindicarem. Istis mihi tandem gratissimum addere est, eruditum Concivem meum Andream Lombardium, Praesidis Consentinae Provinciae a Secretis, et Praesidem Consentinae Academiae meritissimum; iam olim Patrui mei ab teneris unguicolis socium in re litteraria, et ex tunc quoque ei, sicut et mihi deinceps amicissimum, propositum meum magnopere et ipse probasse, et egisse ut ab omnibus praeclarissimis Sociis Consentinis magno plausu exciperetur, et crebris epistolis calcar currenti addidisse.

N. B. *Ne quibus Commentarius exornatur notae, mihi uni omnes tribuerentur, quae Patruum meum auctorem habent asterisco * signatae ut ederentur curavi.*

DE VITA

AULI JANI PARRHASII

COMMENTARII

PARS PRIMA.

§. 1 Aulus Janus Parrhasius anno vulgaris Aerae 1470. V. Kalendas Januarias (1) Consentiae natus est (2); in urbe scilicet Brutiorum principe (3), magnorumque ingeniorum cum primis

(1) Vid. Luc. Gauric. *Tract. IV. De Nat. T. II.* Op. pag. 1636. Franc. Junctin. *Speculum Astrologiae*, T. I. *Calend. Astrolog.* pag. 1165. et *Comment. in Ptolem. lib. III. Cap. XIV. pag. 569. T. II. Op.* — Falluntur ergo Angelus Spera (*De nobil. profess. Gramm. etc.* lib. IV. p. 451. Ed. Neap. 1641.), et Bailletus (*Jugemens des Sav.* Tom. II. P. I. n. 335.), qui ortum eius mense praevertunt. *

(2) Thomas Acetus in suis *animadversionibus* in Barrium (*De Situ et Antiq. Calabr.* Lib. II. Cap. VII. edit. Romae 1737.) Janum haud Consentiae, sed *Fillini* natum, ac proinde civem suum fuisse autumat. Nobis non constat, an charitate actus patriae id asserat Acetus, quo nempe Fillinum, Consentiae pagum, tanti viri natalibus illustraret. Verum quidquid illud sit, haud unius scriptoris sententiam, tanti faciemus, ut quod plerique uno ore fateantur, temere reiciamus.

(3) Vid. Strab. Lib. VI. pag. 256. Ed. Amstelod. 1707. Diod. Sic. lib. XVI. pag. 418.

feraei (1). Ex vetere atque clarissima gente prognatus (2), prima aetate Joannes Paullus Parisius vocatus fuit (3). Pater ei Thomas spectatae integritatis vir, magnaque cum laude versatus in studiis legum (4), quas publico quoque stipendio Neapoli professus est (5). Quibus virtutibus haud mediocri gratia apud Aragonios Reges valuit, et eximiis praeterea muneribus, feudisque, ut vocant, nobilibus meruit augeri (6). Mater Peregrina Poheria fuit, foemina sane optima et generosa (7), integra vero aetate acerba morte praerepta (8). Puer autem, simul atque per aetatem ineuntem licuit, literis mature imbuendus traditur Joanni Crasso Pedacio (9), qui, ut

---

(1) Vid. Barr. op. cit. ibi.
March. Spiriti, *Memor. degli Scritt. Cosent.* Ed. Nap. 1750. *
Zavarron. *Bibl. Calabra* Ed. Neap. 1753.
Ughell. *Ital. Sacr.* T. XI.
D'Amato, *Pantapol. Cal.* ad voc. *Consentia.* Ed. Neap. 1725 *

(2) Vid. Inveges, *Nobiltà della famiglia Parisi* ec. *
Morell. *De Patricia Consent. Nobilit.* Ed. Venet. 1713. *
Acet. *Animadver. in Barr. De Sit. et Antiq. Calabr.* lib. II. Cap. VII. pag. 85, edit. cit.
Xaver. Matthaei, *Epist. ad Franc. Parisium* praep. edit. *De rebus per epist. quaesitis.* Ed. Neap. 1771. *
Roch. Pyrr. *Sicil. Sacr. T. II. Eccl. Catan.* ann. 1209. et 1213. etc.

(3) Vid. *Barr.* ibi. — Zavarron. op. cit. pag. 64. — Sambiasi, *Ragguaglio di Cosen.* pag. 139. Ed. Nap. 1639 — Tafuri, *Ist. degli Scritt. del Regno di Nap.* Tom. IV. pag. 236 — D'Amato, *op. cit.* ibi. — Spera, *op. cit.* ibi.

(4) Vid. Fur. Vall. Echinat. in *Apolog. Jani Parrhas.*
Toppi, *De Orig. Tribunal. P. II. Cap. I. pag. 239.*

(5) Vid. Origlia, *Orig. dello studio di Nap.* Tom. I. lib. IV. pag. 259. Ed. Nap. 1753.

(6) Vid. Morell. op. cit.
Matth. epist. cit. *ad Franc. Paris.* *

(7) Vid. Fur. Vall. ibi.

(8) Vid. Parrhas. *Orat.* ante *Praelect. in epist. Cic. ad Att.* pag. 242. edit. Matthaei. sup. cit.

(9) Vid. *De reb. per epist. quaesitis*, *pag. 121.* cit. edit.
Dictus autem fuit *Pedacius* a *Serra Pedacia*, ubi Crassus natales obtinuit, ut Zavarronius aliique referunt. Vid. Zavarron.

ea erant tempora, Orator et poëta habebatur (1), eiusque profecto doctrinam commendabant maxime modestia morum, suoque in munere obeundo tum sollertia, tum industria. Hoc praeceptore plures per annos usus est Aulus, institutusque perquam liberaliter, mirum in modum profecit in literis: quamobrem praeclara multa de eo praedicabat Crassus, certaque fide talem aliquando futurum pollicebatur, qualem et ipse Pedacius, et ceteri omnes cognitum iudicarunt (3). Erat sane adolescentulo magnum et docile ingenium, iudicium praecox et acre, memoria denique facillima, arreptorumque tenacissima. Illustri autem et eximiae naturae accedebat sollers quaedam ratio studiorum, doctrinaeque informatio, disciplina accurata, et labor improbus, quo aetatulam illam totam insumebat in libris. Quae sane illustriora quodammodo et nobiliora fiebant suavi et iucunda voce, qua percepta efferebat, miraque pronuntiandi elegantia et venustate, qua mulcebat audientes et detinebat (4).

---

op. cit. pag. 63.—Barr. *op. cit.* lib. II. Cap. VIII. p. 103. — Acet. *in Barr. op. et loc. cit.* pag. 107. not. (13).

(1) Vid. Leandr. Albert. Descriz. dell' Ital. Reg. VII. — Spiriti, *op. cit. pag. 30.* — Barr. *ibi. pag. cit.* — Zavarron *ibi*, *pag. cit.*

(2) Parrhasius ipsemet in epistola, quam ad Crassum dedit, haec omnia testatur; ait enim: *Sit hoc αντιπελαργεῖν, ut enim ciconiae parentibus aetate confectis alimenta, sic ego tibi parem studiorum gratiam pro virili parte referam; tametsi nulla satis referri potest, ut inquit Plato. Tu me puerum literis imbuisti; tu, quasi Pythagoras, ex ore, totiusque corporis filo optima de me concepta spe, pollicebaris evasurum, quatenus utinam, priusquam fato concedam, liceat evadere. Sed quantuscum sum, secundum Deum et parentes, tibi debeor.* Vid. *De reb. etc.* pag. 121.

(3) Pierius Valerianus de Jano oratoriam legente ita inquit: *Ad eius iucundam vocem undique concurrebant.* Vid. *De infelicit. litterat.* lib. I. pag. 24, etc. Paullus item Jovius in suis *Elogiis de Vir. litt. illustr.* haec eadem confirmat: *Cunctos*, ita ille, *nostri saeculi doctores erudito rerum omnium, quae explicaret, apparatu, ac una praesertim rotundae pronuntiationis gloria superavit.* Vid. elog. cit. pag. 208. edit. Basil. 1577.

§. II. Quo autem vehementius puer latinis instabat literis, eo anxius graecas expetebat; tum quia perspexerat, quod si illae harum societate, veluti a parentibus, abstrahantur, recte prorsus consistere nequeunt, tum quia revocata alicubi atque instaurata graeca quoque studia, pari fere cum latinis gradu procedebant (1): neque insolens plane erat ab ipsis Catonibus, ut lepide Aldus ait (2), ipsisque a pueris labore plurimo excoli. Ea vero lenta adhuc et tenuia Consentiae iacebant, et quae legebantur favillae acrius desiderium potius excitabant, quam Jani cupiditatem explebant. Quapropter pater eius, qui amplissimo munere auctus, toti Japygiae iuri dicundo praepositus fuerat, (3) filium eam in gentem duxit (ann. 1485.), quae ex graecis profecta, literarum patriarum semina, per ipsam diuturnam barbarorum consuetudinem ita religiose servaverat et excoluerat, ut maguam iam tum in messem adduxisset (4). Et Lupiis sane, in urbe provinciae universae principe, magna ex parte Jani votis responsum est (usque ad ann. 1486.). Diu enim praeceptorem in graecis habuit Sergium Stizum (5), tanta cum laude hisce in

(1) Mirum procul dubio videtur quod memoriae proditum est de Italorum sollecitudine in graecae linguae studiis prosequendis, et praesertim saeculo XVI. ineunte. Bartholomaeus Riccius enim, vir profecto graecis latinisque literis valde eruditus, qui saeculo, quod diximus, floruit, queritur quod graeca studia adeo in *Italiam dominabantur, ut pene Latinam linguam inde quoque deiecisse videantur. Siquidem in ea complures reperiantur, qui ne verbum quidem latinum proferre sciunt, quum graece optime scire existimentur.* Vid. Riccii Op. vol. II. pag. 377.

(2) Vid. *Praefat. in Org. Aristot. edit. 1495*, ubi haec habentur: *Cum apud Romanos Catonem unum accepimus didicisse graecas literas in senectute, nostris vero temporibus multos licet videre Catones, hoc est senes in senectute graece discere. Nunc adolescentulorum ac iuvenum graecis incumbentium literis iam tantus fere est numerus, quantus eorum qui latinis; ac propterea libri graeci vehementer ab omnibus inquiruntur.*

(3) Vid. Fur. Vall. ibi.

(4) Vid. Anton. Galat. *De Sit. Japyg.*

(5) *Multa tamen in graecis antea didicerat, admodum praetextatus, in Japygia, quam regia potestate Tamisius pater eius obtinebat, usus praeceptore Sergio Stizo, cui nihil ad summam de-*

studiis versatum, ut nihil ad absolutam eruditionem in eo desideratum fuisse ferant, quam maiorem literarum latinarum prudentiam. Verum Corcyrae suo veluti in solo maiori cum celebritate graeca excolebantur, eximiosque inter praeceptores Joannes Moschus Lacedaemonius illustriori doctrinae gloria (1), quam Sergius fruebatur. Ex Venetia, cui parebat insula, ex reliqua Italia, ex ipsa Graecia plures confluebant ad eum, ipsoque eo fortasse tempore a tanto viro erudiebatur doctissimus M. Antonius Antimachus (2). His ergo magnopere incensus Janus, quum insula et extremis Japygiae oris suos fere ob oculos obversaretur, alacriter illuc profectus est (ann. 1487 fere,) sedulamque operam Moscho (3) Graecisque ceteris dedit (usque ad ann. 1488, fere). Quo praeclaro consilio factum est, ut tot tantorumque virorum consuetudine et societate peregrini sermonis studia, et verborum copia uberrima, et auctorum ingenio multiplicia satis superque conficeret, et lepore veluti naturali excellenter quoque pronunciaret.

§. III. Decimo autem et octavo fere aetatis anno in patriam redux (anno fere 1488.), latinas quamvis literas, peregrinas adsectando, numquam omnino intermisisset, maiori tamen animi nisu in eas incubuit, praeceptoremque sibi adsumpsit longe iis, quos adhuc in latinis studiis audiverat, doctiorem. Erat is Tydeus Acciarinus, seu mavis Actianus, magnorum principum consuetudine illustris, qui *novercante*, ut dictitare solebat (4), fortuna, ad ludum litterarium ve-

---

fuit eruditionem, praeter quam maius nostrarum litterarum studium. Idem Vallus.

(1) Vid. Lil. Greg. Gyrald. *De Poët. sui temp. Dial. II.* Spera, op. cit. *lib. IV. pag. 288.*

(2) Vid. Lil. Greg. Gyrald. *Dial. cit.* Tirab. *Stor. ec. T. VII. P. II.* pag. 437. Ed. Roma, 1784.

(3) Eur. Vall. ibi. ita prosequitur: ... *inde Corcyram profectus* (in graecis literis discendis) *operam Moscho dedit.* etc.

(4) Tydeus ad Politianum scribens, haec de se prodidit memoriae: *Sum ego ex Agro Piceno oriundus, sed fatis volventibus, et novercante fortuna, in Bruttiis Consentiae profiteor. Et qui hactenus principum familiaritate sum usus, nunc, sideribus adversantibus, ludum aperui.* Vid. Polit. *Epist. lib. VII. pag. 198.* *Ed. Lugd. 1538.*

luti ad tabulam e naufragio confugiens, Picenus in Brutiis, publico stipendio a Consentinis conductus, magna cum laude bonas literas profitebatur (1). Vir profecto eruditus, tantisque laudibus a Nostro (2), ipsoque a Politiano (3) exornatus, ut dolendum sit *Selectarum Observationum* eius opus (4) penitus intercidisse. Equidem Tydeo doctore mira ingenii facilitate et sollertia Janus utebatur. Nam non latinos modo Rhetoras, et poëtas copiose et argute passim explicabat, sed quae antistites ipsi, principesque literarum nondum viderant, vel tractata illustrare desperaverant, ea aetatula perspiciebat ipse acute, et diserte aperiebat. Et tum sane primus omnium deprehendit τα Collimachi αιτια deperditum fuisse poëtae carmen, quo graecorum Sacrorum causas origines ritus, et id genus alia cecinisset (3), haud secus ac Ovidius noster la-

---

Qui sane loquendi modus adeo ipsi perfamiliaris fortasse fuit, ut Parrhasius in illud *lib. III. de Rapt. Proserp. Claud.*

In dirae subito mores transire novercae

de eo ita scriberet: *Noster etiam Tydeus Actianus, latini sermonis observantissimus, novercari sibi fortunam quandoque dicit. Equidem Tamisio genitori meo hoc etiam nomine multum debeo, quod diu maluit aetatem celibem degere, quam novercam liberis superducere.*

(1) Vid. Daniel. *Vit. Anton. Thylesii*, pag. XV. not. (a). Edit. Neap. 1808.

Parrhas. loc. modo cit. et lib. II. vers. 188.

Polit. epist. lib. IV. pag. 167. lib. VII. pag. 198.

(2) Ibi.

(3) Ibi.

(4) V. *Comment. de Rapt. Preserp. lib. III. vers. 288*, *et seq.* qui sic habentur:

. . . . *Atqui Trinacria longe,*
Esset ne vobis oneri, deserta colebat.

(5) Parrhasius in *Comment.* ad vers. cit. lib. cit. ita scripsit: *Hoc illud opus est, quo Martialis ad Mamurram carmen omnium primi spectare deprehendimus.... Nam praeter alia Callimachus* Aetia *quoque scripsit, quo poemate sacrorum ritus et causas complexus est.... Nec ingrati Prisciano sumus, qui Callimachi versum citat ex Aetiis lib. I. nobisque adhuc pueris aurem quodammodo vellit, ut hoc in Martialem suspicaremur. Improbe profecto faciunt, qui tamquam fuci alienis laboribus insidiantur, et quaecumque praeripere possunt, pro suis ostentant. An si nostram hanc observa-*

tinorum causas in Fastis prosequutus fuerat (1). Quae tamen Nicolaum Perottum (2), Domitium Calderinum (3), Georgium Merulam (4), ceterosque primi subsellii viros, latuerant. Neque praetereundum est, quod plerisque Martialis in Mamurram epigrammate (5) ηθια vel ηθεα legentibus immerito, ipse αινα restituerit (6), idque unice tuendum esse ostenderit, quum una tantum hac ratione potissimum sua carmini sententia staret. Nec multo post novam quoque de *Delia* Catulli *Oliva* (7) sententiam nactus est. Quum enim poëta *Saeculari in Dianam Carmine* scripserit:

Quam (Dianam) *mater* (Latona) *prope Deliam*
Deposivit Olivam (8).

primus ipse ratus est ad *Deliam olivam* fontem, quae Tegyris in Boeotia erat, Catullum spectasse, haud vero ad *olivam* arborem, quae Deli fuisse putabatur (9). Et plura sane opinioni novae favebant; auctoritas nempe Sami Delii (10), et Plutarchi (11) potissimum, viri praestantissimi, qui disertissime sane, neque semel de *Oliva* fonte meminerat. Neque mi-

---

tiunculam per aetatem prodere tum non licuit, et editione non invento praeventi sumus, idcirco nostra nos laude fraudari patiemur?... Non adeo toleranda quies.

(1) *Allusit ad hoc* (Poëma) *etiam Naso, quum dixit:*
Tempora cum causis Latium digesta per annum,
Lapsaque sub terras, ortaque signa can m etc.
quippe Aetion *Causam significat, et* Aetia *eodem pene argumento quo nostri Fasti constabant.* Parrhas. *ibi.*

(2) Vid. *Cornucop.* column. 728. *K.* Edit. *Venet.* 1508.

(3) Vid. *Comment. in Martial.* lib. X. epigr. IV. pag. XCI. Edit. Venet. 1542.

(4) Vid. *Comment. in eumdem loc.* eiusdem auctoris.

(5) Vid. Martial. epigr. cit.

(6) Vid. Parrhas. *Comment. in Rapt. Proserp* loc. cit. et *Comment. MSS. in Tibullum*, inter *MSS.* Reg. Bibl. Borb.

(7) Vid. *Comment.* cit. in Rapt. lib. II. v. 188.

(8) Vid. Catulli *Carm. cit.*

(9) Vid. cit. *Comment. in Rapt.* ubi supra.

(10) Vid. Steph. Byzant. *De urb.* ubi de *Tegyra.* edit. ann. 1695.

(11) *Vit. Pelop.* pag. 189. Edit. Francof. 1600.

nimum momentum erat plerosque ex iis, qui hasce res memoriae tradiderant, vel ad *palmam* arborem Deli (1), vel

---

(1) Homerus, *Odiss.* lib. VI. Ver. 162, et seq. ita cecinit:
Δήλῳ δή ποτε τοῖον Απολλωνος παρα βωμῷ
Φοίνικος νέον έρνος ανερχόμενον ενοησα·
In Delo equidem aliquando tale Apollinis iuxta aram
Palmae recens gramen succrescens vidi.
Item Hymn. in Apoll. ver. 16, et seq.
. . . . . τον δε κραναῆ ενὶ Δήλῳ,
Κεκλιμένη πρός μακρὸν όρος και Κύνθιον οχθον,
Αγχοτάτω φοίνικος, επ' Ινωποῖο ρεέθροις.
... *illum* (Apollinem) *vero aspera in Delo* (Latona peperit)
Inclinata ad longum montem, et Cynthium collem
Proxime palmam, sub Inopi fluentis.
Item ver. 115, ibi.
Callimach. *Hymn. in Del. v. 208. Ed. Ultrai. 1697*, cum Spanhem. ait:
Λύσατο δὲ ζώνην, από δ'εκλίθη εμπαλιν ὤμοις
Φοίνικος ποτὶ πρέμνον, αμηχανίης ὑπὸ λυγρῆς
Τειρομένη.
Ibi exsolvit (Latona) *cingulum, retroque inclinata est humeris*
Ad palmae truncum, difficultate tristi
Afflicta.
Item *Hymn. in Apoll. v. 4.* etc.
Eurip. *in Jone, v. 935, et seq.* cum *Musgrave*, etc.
Ed. Oxon. 1778.
Μισεῖ σ' ά Δαλος, και Δάφνας
Έρνεα, φοίνικα παρ' αβροκόμαν,
Ένθα λοχεύματα σέμν' ελοχεύσατο
Λατω δίοισί σε καρποῖς,
Odio habeat te Delus et lauri
Rami, iuxta palmam molli-coma praeditam,
Ubi foetum venerandum suscepit
Te Latona divinis manibus.
Item in Hecuba. v. 458, et seq.
Ένθα πρωτόγονός τε φοινιξ,
Δάφνα θ' ἱερὲς ανέσχε
Πτόρθους Λατοῖ φιλα
Ωδῖνος άγαλμα Δίας;
Ubi primitiva palma
Laurusque sacros porrexit
Ramos Latonae charae
Partus decorationem divini?

ad *Oleam* arborem Ephesi Latonam enixam fuisse fabulatos (1). Quapropter Palladius Fuscus (1), Coelius Rhodiginus (2), aliique nonnulli sententiam probarunt. Neque profecto si et sibi ipsi (3) deinceps, aliisque, viris doctis (4) minus arriserit opi-

---

Theogn. ap. *Spanhem. in Callim. Hymn. in Del. v. 210.* edit. cit.
Cic. *de Leg.* lib. I.
Plin. *Hist. Nat.* lib. XVI. Cap. ult. *
Ovid. *Metamorph.* lib. VI. ait:
Illuc incumbens cum Palladis arbore palmae
Edidit invitâ geminos Latona novercâ.

(1) Vid. Strab. lib. IX. *
Tacit. Annal. lib. III.
Liv. Hist. lib. XXXI. Cap. XXXI. lib. XXXV. Cap. XXXVII.

(1) Vid. *Comment. in Catull. epigr. cit.* *

(2) Vid. *Antiq. lib. V. col. 242.* Edit. Francof. et Lips. 1666. Parrhasius vero in illud Claudiani *lib. II. de Rapt.* v. 188, et seq.

. . . . *Te fronte retusa*
Delius, etc.

ubi de Hyacintho loquitur poëta; *Delius Apollo*, ait, *ab insula, cuius ante meminimus, Delo, vel ab eiusdem nominis monte prope Tegyram Boeotiae civitatem, quae natales Apollinis et Dianae sibi vindicat; ut refert Semus, et Plutarchus in vita Pelopidae.... Ad hanc Olivam fontem Catulli carmen esse referendum, decimo abhinc anno omnium primi indicavimus, quum ceteri Strabonem cum Poeta committerent. Neque mentiri me sinet Tydeus Actianus vir et doctus, et integerrimus, quo tum praeceptore in litteris utebamur: non Aelius Gorgonius, aut Putius Florentinus in studiis nostris eminentissimus, qui nostri tum nascentis ingenii dexteritatem complexus, in margine sui Catulliani codicis adnotavit. Quid tamen refert? quum nonnulli inventi sint, qui nostrum qualecumque inventum pro suo recitent atque ostentent?*

(3) *Sed (* Parrhasius prosequitur*) quo pudorem plagiariis imponamus, ecce mut ta sententia, ad ipsam istam arborem referri posse contendimus ex Ovidio, qui lib. VI. Metamorph. ita Latonam circuitione designat:*

Illa suam vocat hanc, cui quondam regia coniux
Orbem interdixit, quam vix erratica Delos
Orantem accepit, tunc cum levis insula nab.t.
Illic incumbens cum Palladis arbore palmae,
Edidit invita geminos Latona noverca.

(4) Vid. Muret. *Comment. in Catulli Carm. cit.*

nio, minus propterea suspiciendum erit foecundum adolescentis ingenium, quum ea maxime iustissimam literarum graecarum prudentiam expostulasset; tum quia Plutarchi locus foede adhuc corruptus erat, tum quia vera eius sententia eminentiores quoque in graecis viros latuerat.

§. IV. Quartum nondum lustrum expleverat (1490 fere) Janus, quum omnibus vel naturae vel doctrinae praesidiis instructus, atque par ad docendum censebatur. Plerique idcirco auctores erant, ut Neapolim ipsam bonas literas professurus accederet, plures vero, ut munus in patria saltem susciperet, exorabant. Quamobrem illorum omine benigne excepto, consilium horum probavit, et patriae praetulit charitatem, ut qui totus iam plenoque gradu in mitiora studia abiturus erat, diutius domi exerceret, et studiosius experiretur ingenium. Morem ergo illis gessit, ludumque litterarium Consentiae aperuit (1) (anno 1490, mense Jan.) qui brevi floruit frequentia et honestate auditorum. Id vero irarum atque malorum ingens extitit labes. Nam pater eius aegerrime tulit filium, iamdudum Jurisprudentiae destinatum, grammaticam praeponere ingenuis legum studiis, et illiberale, ut putabat, doctrinae genus non prosequi modo, sed unice fovere et amplecti. Neque doluit minus deflexisse eum a trita semita gentis suae, quae per Juris studia maxima consequuta fuerat proemia (2), et maiora adhuc proposita habebat, vel ad opes, vel ad gratiam, vel ad dignitatem. Quumque monendo, hortando, increpando ad sua instituta filium pertrahere desperasset, quae ad ecolendas amoeniores literas adhuc suppeditabat subsidia, indignatus subtraxit (3). Qua ta-

(1) Parrhasius ipse in *Orat. ante praelect. in Sylv. Stat.* ita de se loquitur ad Patricios Neapolitanos: *Ac ne sic quidem, tametsi pares huic oneri compluribus videbamur, ad enarrandi munus accessi, nisi prius aliquot annos frequenti auditorio in Bruttiis, unde nos ortum ducimus, interpretandis auctoribus impenderemus.* Vid. *MSS. Lat. Reg. Bibl. Borb.*

(2) Vid. Morell *De Patricia Consent. Nobilit.*

(3) *Neque vero* (ita Parrhasius *in Orat. ante praelect. in epist. Cic. ad Att.*) *commemorabo, quod ut hunc quantulumcumque litterarum profectum moraretur, indulgentis alioqui in me patris animum depravavit* (Fortuna), *ne sumptus ad ocia Musarum*

men ira damnoque Janus neque a sententia recessit, neque consilium saltem temperavit. Absterrebant enim eum maxime, ne patris propositum amplecteretur, confusa illa et indigesta moles legum innumerarum, plurimus absurdorum interpretum grex, irrequietum vitae genus, et aeternus ille labor querularum forensium ineptiarum (1). Accedebat barbara atque incondita loquendi scribendique Jurisperitorum ratio, in quam praesertim ipsemet temperare se nequaquam potuit, quin acerbe inveheretur. *O utinam*, ad Riccium scribens exclamabat, *in antiquis et potioribus aemulandis aliquid studii foret* (Jurisconsultis) ! *profecto Jus Civile tanta scribligine, Romanae linguae dehonestamentis inquinatum non esset* (2). Hinc illae lacrymae, illaeque ingenuorum adolescentium quaerelae, ubi hise legibus dare operam cogerentur. » *Ego quidem scio*, Antonius Broccardus aiebat (3), *quae infanda perpetior : numquam enim vel Ruini nomen audio, vel, patre instante, Bartolum Baldumque lego, quin hosce meos oculos, hasce meas aures, hoc ingenium, totamque vitam meam diris devoveam, animique excrucier ea mihi addiscenda esse, quae dediscenda forent, si didicissem.* Jucundissima contra erant Musarum studia, blanda facilia elegantia; quumque ad absolutam maturitatem nondum pervenissent, et satietatem quamdam creassent, sua veluti viriditate, florentique iuventa vehementius excitabant et alliciebant ingenia. Et re quidem vera Janus ipse, epistola inedita ad discipulum suum Peregrinum : *Sed heu tu vide*, ait, *quid agas*, *qui cursum reflectis ad Sirenas ; est sane periculosum, ne te mansuetiorum Musarum delinimenta avocent a molestissimo legum*

---

suppeditaret, *tamquam relicta a maioribus trita semita degeneri*, *quod*, *ut illi* ; *leges ediscere neglexerim*. Vid. *De reb. per epist. quaesit.* pag. 242 etc. edit. cit.

(1) Vid. Tirab. *Stor. Della Letterat. Ital.* T. V. pag. 223. ec. Edit. Nap. 1777.

Signorelli, *Vicende della Colt.* ec. T. III. P. II. Cap. VIII. pag. 302, e seg. Ed. Nap 1810.

Giannone, *Stor. Civ. del Regno di Nap.* lib. XXVIII. Cap. II. §. I.

(2) Vid. *Epist. ad Michael. Ricc.* ante huius op.

(3) Vid. Sperone Speroni, *Dial. della Rett. T. I. p. 205.*

studio (1). Ex quo etiam factum est, ut a legibus ad Musas converterentur Antonius Panormita (2), Leonardus Brunus (3), Janus Anysius noster (4), aliique bene multi de re litteraria meritissimi: et propterea nonnulli viri docti amicos suos a studiis absurdis avocare conati sunt, quod Philelphus pater praesertim docto et prolixo carmine, adhuc inedito (5), ad Georgium Bevilacqua studiose confecit.

§. V. Erat tamen Jurisprudentiae genus quod minime Janus respuebat; illas scilicet Civilis Romanorum sapientiae reliquias, quae nobis supersunt. Etenim non sapientissimae modo ordinatae Reipublicae leges in eis continentur, et pleraque ad vitam communiter agitandam praeclare instituta; sed Romanae quoque linguae maiestas elucet et elegantia (6). Quod quamvis a nonnullis denegetur, satis tamen superque doctiores viri calumniae occurrerunt. Constat porro a prima usque adolescentia diligentem illis operam Janum dedisse. Extat enim adhuc iustum volumen Jani manu exaratum, cui factum nomen est *Vocabularium Legale*, quo praecipuae iuris quaestiones, quas Justinianaei Codicis instauratores per titulos digesserant, ad verbum omnino excripsit, singulisque quaestionibus auctore praefixo, alphabetico ordine disposuit: quod quidem ea aetate confecit Janus, qua graeca, si longiuscula offenderet, praeteriret, et in nonnulla, etsi latina, in scribendo peccaret. Addidit deinceps alteras, tertiasve curas, quibus graeca reposuit, et quae peccata fuerant emendavit. Neque fortasse aliis auctoribus frequentius usus est, quam Caio,

---

(1) Vid. *MSS. Lat. Reg. Bibl. Borb.*

(2) In quodam Bartholomei Facii codice manu exarato, quem Joseph Ant. Saxius ab eruditissimo Mehus obtinuit, et in lucem emisit, haec de Panormita habentur: *Antonius Panormita in hoc genere clarus habetur. Allectus ab adolescentia poeticae atque oratoriae suavitate, omissis legibus, illarum rerum studiis incubuit.* Vid. Sax. *Hist. Litt. Typ.* etc. pag. 5.

(3) Vid. Pogg. *Orat. in fun. Leonardi Bruni.*

(4) Vid. Mazzuchelli, *Scritt. Ital.* T. I. P. II. pag. 799. ec.

(5) Vid. *MSS. Lat. Reg. Bibl. Borb.*

(6) Vid. Laurent. Vall. *Elegant.* lib III. pag. 182.
Ambros. Camald. epist. XVIII. lib. V. ad *Marianum Porcium*.
Philelph. Carmen cit.

Papiniano, Ulpiano, Juliano, aliisque huiuscemodi praestantioribus Jurisconsultis (1).

§. VI. Illae autem irae labente tempore deferbuerunt, animusque paternus reconciliatus est pietate et laude filii: quamobrem maiori in dies alacritate, quamvis bona eius valetudo sensim pessumdaretur, sua in studia incubuit Janus; eoque deduxit rem, ut animo tandem reputaret maturasse tempus, quo amplior veluti area terenda sibi foret, doctioresque inter viros periculo illustriori experiendum esse ingenium suum. Quapropter quum pater eius regius Satrapa, supremique Neapolitani Senatus Consiliarius renunciatus (2) Neapolim accersitus fuisset, secundo et vicesimo aetatis anno (1492) ipse quoque principem in Urbem venit. Haec enim una maxime literarum laude ea tempestate florebat, neque alia erat gens, quae elegantia carminum, latinique sermonis castitate praestaret. Ferdinandus I. Aragonius, in his saltem Alphonsi patris vestigia legens, magnis opibus, miroque favore bona studia, ipse quoque eruditus, iuvabat (3). Neque minori conatu ad optimas artes excitandas Joviani Pontani Academia tum florentissima incumbebat (4). Plusquam tercentos, qui

(1) Vid. *MSS. cit.*

(2) *Thomas Parisius Consentinus Patritius I. C. Regius Consiliarius Sanctae Clarae fuit anno 1492, et 1493.* Ita Toppius in *P. II. lib. IV. Cap. I. de Orig. Trib.*

Idem habet Sambiasius in opere, quod *Ragguaglio di Cosenza* inscribitur. Ibi enim pag. 139, ita legitur: *Del medesimo cognome (* Parisi *) vi è stata un' altra stirpe, da cui nacque Tommaso Consigliere di Ferdinando I.*

(3) Vid. Pont. *De Liberalitate.*

Giann. *Stor. Civ.* ec. *T. III. lib. XXVI. Cap. III. pag. 423. Cap. ult. pag. 444 Ed. Nap. 1723.*

Origlia, *Stor. dello studio di Nap. T. I. lib. IV. pag. 250.* ec.

Signorelli, *Vicende* ec. *T. III. P. II. Cap. VII. p. 297.* ec. Ed. Nap. 1810.

Tirab. *Storia della Letterat.* ec. *T. XIV. pag. 70.* ec. Firen. 1779.

(4) Vid. Tirab. *op. cit. Sec. XV. e XVI.*

Alex. ab Alex. *Genial. Dier. T. I. Cap. I. pag. 1.* etc. *Ed. Lugd. Bat. 1673.*

De Sarno, *Vit. Pont.*

Signorelli, *op. cit.*

Zeno, *Dissert. Voss. T. II. pag. 172.* ec.

publice heic profiterentur Angelus Cato Supinas iam numeraverat (1); hique, dilatatis urbis promeriis (2), quo discentium et auditorum frequentiae fieret satis, in numerum certe maiorem excreverant. Quamvis ergo tantam tamque praeclaram in urbem iuvenis advenerit, eam quidem sui admirationem continuo concitavit, itaque brevi inuotuit, ut nulla fere mora interiecta, plerique Patricii viri non auctores ei modo fuerint, ut latinos scriptores sua in civitate susciperet enarrandos, verum adsiduis precibus ad hunc voti finem impulerint. Quamobrem suscepto tandem munere, Statii Papinii *Sylvas* auditorio frequenti exponendas primum adgressus est (3). Supersunt adhuc duae Orationes, quas primas ante praelectiones ad *Patricios* praesertim *viros* habuit (4); quarum utpote ineditarum, praecipua tantum capita adferre operae pretium duco. In altera ergo illos orat, ceterosque iuvenes et adolescentulos, qui plurimi aderant, ut optimam de se spem concipiant, quum a prima usque aetate, et supra omnem quoque fidem, quemadmodum Romanus miles in armis (5), ita ipse in literis sese diutissime exercuisset (6). Tum eos ro-

(1) Vid. *Epist. ad Ferdinand. Regem* ante *Pandect. medic. Matth. Sylvatici*, in qua haec legenda se praebent: *Illud tamen in primis constat, degere hodie vitam in hac civitate* (Neap.) *supra trecentos viros, quorum plerique Theologiam, et notitiam Divinarum Scripturarum, multi Philosophiam, alii Artem Medicam, complures Jus Civile, quidam Jus Pontificium, nonnulli Astrologiam et Geometriam, aliique Mathematicas disciplinas, pars magna Oratoriam, et Poëticam, atque Grammaticam profitentur.*

(2) Anno 1486.

(3) Parrhasius in *Oratione ad Patricios Neapolitanos ante praelectiones in Sylv. Stat.* ita ait: *Nec umquam contendere desierunt, quousque assiduis eorum vocibus expugnatus, P. Papinii Statii oppido quam doctissimi, quem urbs haec florentissima universo terrarum orbi, quocumque Latini nominis fama percrebuit, elargita est, Sylvarum opus haud omnibus obvium singulis lectionibus enodaturum promiserim.* Vid. *MSS. Lat. R. B. B.*

(4) Vid. *MSS. cit.* Primae orationi hoc est initium: *Quum saepe mecum, Viri Patricii, eruditissimi iuvenes, ingeniique adolescentuli, Romanae Reipublicae instituta considero, nihil quod non summa cum sapientia institutum occurrit. etc.*

(5) Usurpat heic Parrhasius Apulei verba in *Apolog.* initio. *

(6) *Ac ne sic quidem, tametsi pares huic oneri compluribus vi-*

gat ut meminerint haud ultro vel sponte tantum munus ea in Civitate susceptum ab adolescente fuisse (1). In altera vero totus est ut ostendat omnia gloriae ergo fieri, et Joviani Pontani exemplo potissimum, quem laudibus exquisitissimis ornat (2), mactosque virtute habendos esse adolescentes, qui mature illi studuerint. Addit praeterea, se omnem operam suam praestiturum, ut muneri pro dignitate satisfaciat, si aequi bonique ipsi consulant Patricii viri, si qua imprudens peccaverit (3); nam Pontanos, Aurelios, Actios Sannazarios, ac denique Dyonisios superi concessere (4). Arguto Papinio

---

debamur, ad enarrandi munus accessi, nisi prius aliquot annis, frequenti auditorio in Brutiis, unde nos ortum ducimus, interpretandis auctoribus impendissemus. etc. Parrhas. *Orat. cit.*

(1) *Scio profecto, nec me fugit quam arduam, quamque difficilem sim adgressus provinciam, implicitos, ac inestricabiles pene nodos absolvendos adsumpserim; et vestrum fortasse plerosque nostros hos conatus ut audaculos, ne dicam impudentes, reprehensuros, quod huius aetatis adolescens totius Italiae hac celeberrima urbe, ubi omnium bonarum artium studia pollent, in tanto praesertim doctissimorum hominum coetu subgestum hoc ascendere non erubuerim. Justa sane et non improbanda incusatio, si aut meo consilio, aut sponte, non dicam ultro, hoc munus obiverim.* Parrhas. ibi.

(2) *Quotusquisque, ut ad rem litterariam deveniam, tam maximos studiis labores impendisset, nisi nomen et gloriam inde adsequeretur?... Hac nostra tempestate viri et ingenio et doctrina praecipui multa et nova, et utillima excudunt.... Sed quid externis utor exemplis? Jovianus Pontanus vir disertissimus, qui cum aliis vetustissimis aeque contendit, Dii boni quae nuper sui laboris monumenta dedit? Rem profecto* (De Fortitudine Heroica) *ad hoc usque tempus intactam!..* etc. Ibi.

(3) *Ego vero eam de me spem polliceor, ut me nec incepti poeniteat, nec vos adolescentem audivisse piguerit...eam spem vobis polliceor ut vos huc advenisse non poeniteat...Sed per Jovem ineptissimus ego sum, qui haec ad eos dicam, quos semper mitissimo ingenio, ac animo mitissimo accepi.* Ibi.

(4) Quis ille Aurelius fuerit, quis Dyonisius, certo deprehendere mihi non licuit. Haud temere vero omnino coniecerim illum fuisse Aurelium Brandolinum Lippum, qui maxima tum fruebatur laude studiorum amoeniorum; quae apud Matthiam praesertim Corvinum Ungariae regem praeclara cum fama professus fue-

adiungere porro studuit Albium Tibullum poëtam suavissimum, copiosaque in utrumque conscripsit commentaria; quorum sane illud in Statium periit, eiusque tenuissima tantum superfuere fragmenta: quod vero in Tibullum compositum fuit extat adhuc (1); illudque in eo notatu dignum occurrit, quod de Callimachi αιτιοῖς, quorum superius meminimus (2), disputavit eo scilicet tempore, quo cum eruditissimo iuvene Mario Equicola de iisdem rebus disserebat (3). Neque praetereundum est, inter ingenuos adolescentes, qui Jano operam dabant, Joannem quoque Philocalum Troianum fuisse, qui tanta cum laude deinceps Poëticam et Oratoriam exercuit. Pie-

---

rat. Constat quidem Florentiam suam reversum anno 1490, et aliquot post annos Neapolim petiisse. Quamobrem fieri quoque poterit, ut de eo, quem praesentem nosset loqueretur. Alter vero Dyonisius fortasse Tribracus fuit, illustris ea tempestate Grammaticus et poëta; vel si mavis Dyonisius Capnio Germanus, Joannis Raudini seu Capnionis viri celeberrimi frater, qui hac aetate per diuturnum tempus plurimam Florentiae operam dederat Chalcondylae, Politiano, Ficino, Landino, et Aurelio praesertim Lippo. Quamobrem quum ambos fortasse Neapoli nosset, amborum quoque meminit heic noster.

(1) Vid. MSS. super. cit.

(2) Vid. §. III. huius Commentarii, pag. 6.

(3) *Marius Equicolus* (ita Parrhas. in *Comment. in Rapt.* lib. III. v. 289.) *iuvenis apprime doctus, ut eius ingenii monimentis notum est, sanctissime testari potest, me pluribus annis, antequam in cuiuspiam commentariis ebulliret, Neapoli super hoc Martialis loco secum communicasse.*

Praeclara Equicoli merita litteraria nonnulli memoriae prodiderunt, inter quos Toppius (Vid. *Bibliot. Napol. pag. 206.*), Nicodemus (Vid. *Addiz. alla Bibl. Napol. del Toppi, pag. 171.*), Tafurius (Vid. *Scritt. del Regno di Nap.* T. III. P. I. pag. 14) et Tiraboschius (Vid. *Stor. della Letter. ec. T. VII. P. II. pag. 330, e 331,* N.) Neque praetereundum videtur, quod eius doctrinae fama adeo erat apud Italos perspicua, ut cum ceteris Italiae doctis viris ab eximio vate Ludovico Ariosto ipse commeritus sit celebrari. Ait enim Vates:

Ecco altri duo Alessandri in quel drappello,
Dagli Orologi l' un, l' altro il Guarino.
Ecco Mario d' Olvito. ec.

V. *Fur. Canto XLVI. stan. 14.* Qui Marius idem ipse est, qui cum Jano de Aetiis disputavit.

rius enim Cyminius civis et discipulus Jani, de Philocalo, quo familiarissime utebatur, loquens: *Philocalus meus Troianus*, ait, *publicus Latinitatis professor et diligentissimus, qui Neapoli Papinii Statii Sylvas frequenti auditorio, et magna cum laude sic exponit, ut iure quidem Parrhasii nostri auditor existimari possit* (1). Quod sane neque alio in loco, neque alio in tempore fieri potuisse, qui Parrhasii atque Philocali vitas perspectas quodammodo habebit, nullo negotio per se deprehendet.

§. VII. Qui autem praestantissima hac in urbem bonas literas honesto nomine profitebatur, praeclaro exemplo docilem adhuc animum adpulit disciplinae, virosque propterea doctos adiit, modo eorum, modo suum ingenium expertus, vel audiendo, vel disputando. Ex his magnopere probatus ipsi est Franciscus Puccius Florentinus (2), qui publico stipendio Oratoriam summa cum laude exercebat (3). Vir sane ad humaniora studia maximopere eruditus, summisque laudibus a Politiano praeceptore et collega olim suo (4), a familiarissimo Ponta-

---

(1) Vid. *Epist. ad Coriol. Martyr.* ante *Charis. grammat. instit.* Ed. Neap. 1532. — Quoad vero litteraria Philocali merita, vid. *Chioccarell. De illustr. Script. Neap.* — T. I. pag. 347.

(2) Vid. Parrhas. *Comment. in Rapt.* lib. II. v. 127.

(3) Michaël Pocciantius, in *Catal. Script. Florent.* pag. 65. *edit. 1585*, ita de Puccio loquitur: *Franciscus Puccius Politiani auditor, vir omnigena scientiarum doctrina praeditus, sed in primis politioribus litteris, humanis graecis, et latinis singulariter ornatus, quas publice magna celebritate et gloria Neapoli iuventutem docuit; cuius stilus* (*teste Politiano*) *iugiter extitit Latinus castus, cultus, facilis, profluens et numerosus. Multa ex proprio ingenio elaboravit, et metro et prosa., et nonnulla ex graeco turbine convertit, quae cum ad libitum perpolire non valuisset; in hominum manus pervenire non permisit.*

(4) Politianus ad Philippum Beroaldum scribens, haec habet de Puccio: *Tydeus Acciarinus nactus autem fuerat* (ea eiusdem Politiani in Sylv. Statii commentaria), *quae Franciscus Puccius collegisset, auditor ille quidem noster olim, dein vero in eadem schola etiam professor, qui Neapoli nunc agitat magna cum laude, doctus utraque lingua iuvenis, nec absurdo ingenio, sive tu prosam condere, sive carmen iubeas.* Vid. *epist. lib. VI.* pag. 175, Edit. Lugd. 1533. Vid. quoque lib. VII. pag. 216. op. cit.

no (1), ab Hieronymo Carbone (2), a Nostro (3) aliisque non paucis exornatus. Quamobrem sedulam et officiosam illi operam

---

(1) Vid. *Pont. in Aeg. De Serm.* lib. IV. etc.

(2) Hieronymus Carbo in suavissimo quodam elegiaco carmine ad Augustinum Niphum nuncupato, quodque manu habuit patruus noster exaratum, haec in Puccii laudem effudit:

Et qui Sebethum patrio modo praetulit Arno,
Puccius Etrusci fama decusque soli.

(3) Parrhasius in suis *Comment. MSS. in Epist. Cic. ad Att. lib. I. epist. I.* quum nunnulla obiter loqueretur super illud Tibulli vers. elegiae ad Messalam;

Te canit agricola e magna cum venerit Urbe etc.

haec de Puccio notavit: *Puccius autem Florentinus, Aragonei Lysiae regis mei magister epistolarum, quem Neapoli audivimus, emendat hunc in modum* etc.

Quum de tanto viro vix pauca memriae prodita sint, eaque nec curiosum adhuc virum sint nacta, ut Menkenius quoque in *vita Politiani Sect.* I. §. V. N. C. queritur, haud omnino a re abhorrere duxi Epitaphium saltem clarissimi viri heic excribere, quum nos lateat utrum editum sit, an non.

ROMAE
ΓΝΩΘΙ ΣΕΑΥΤΟΝ
FRANCISCO PUCCIO
PATRICIO ET CANONICO FLORENTINO
ARCHIDIACONO LEGIONENSI
CARDINALIS A. ARAGONEI A SECRETIS
FIDELISSIMO
MORUM GRAVITATE INGENIOQUE
PRAESTANTISSIMO
UTRIUSQUE LINGUAE MULTIPLICISQUE DOCTRINAE PROFESSORI
QUI PLERISQUE REGIBUS ARAGONEIS EGREGIAM
OPERAM NAVAVIT
CUIQUE IMPORTUNA MORS MAIORES
HONORES TITULOSQUE PRAERIPUIT.
VIXIT ANN. XLVIII. MENS. XI. DIES XXI. OBIIT DIE XXIV. AUGUSTI
ANNI MDXII.
AMICI FLENTES POSUERE
INVENI PORTUM; SPES ET FORTUNA VALETE;
NIL MIHI VOBISCUM, LUDITE CUM ALIIS.

Janus dedit, dilectusque ab eo fuit et tanti factus, ut praeceptorem clarissimum haud puderet adolescentis de *Delia Oliva* sententiam Catulliano suo codici adnectere (1). Studiosius quoque ceteris Pontanum coluit (2), virum profecto latini sermonis castitate et elegantia, suavitate et copia carminum, doctrina denique varia et multiplici facile tum inter omnes eminentissimum (3). Et re quidem vera, quae de Joviano in altera oratione disseruit, quamvis ab se prolata paullo post suum in urbem adventum, haud mediocrem tamen cum illo familiaritatem intercessisse arguunt. Etenim de viro quem de nomine, vel de facie tantum nosset ea dicenda nunquam fuisse videntur. Ut egregiae et exquisitae sunt laudes, ut officiosa et longa recensio operum, ut praeclarae de omnibus sententiae! (4) Illud immo ipsum, Jovianum nempe omnia gloriae ergo egisse, ex Pontani ore deprehendisse videtur. Hunc enim advenam et inopem una ingenii laude a Regibus suis reverentia quadam dilectum, muneribus atque opibus auctum (5),

---

Ex *Manuscriptis* Bibliothecae Regiae, quo pleraque epitaphia collecta sunt. Quem tamen codicem, post Andresii mortem, et Bibl. MS. per sexennium praeclusam, exclusis nobis, reperire deinceps numquam potui. *

Praetereundum non est, quod Antonius Seripandus, de quo plura in praefatione, et inferius, in grati animi argumentum, eidem Francisco Puccio quod bonarum artium sibi magister fuisset, in gentis suae larario, sub Bibliotheca S. Joannis ad Carbonariam existente, *monumentum testamento fieri iussit*. Vid. Mabill. *Musaeum Ital.* etc. T. I. pag. 108, et seq. §. 23. *Ed. Lutet. Paris. ann. 1724*. Coniicimus praeterea, immo firmissime tenemus, quod hoc ipso tempore, hoc ipso Puccio praeceptore litteraria illa consuetudo atque arctissima familiaritas inita est; quae Parrhasium inter et Antonium Seripandum adeo intercessit, ut nonnisi cum utriusque morte finita fuerit.

(1) Vid. *Comment MSS. in epist. Cic. ad Att.* inter *Cod. Lat. MSS. Reg. Bibl. Borb.* *

(2) V. Fur. Vall. in *Jani Parrhas. Apolog.*

(3) De Sarno, *Vit. Pont.*
Lil. Greg. Gyral. *De Poëtis sui temp. Dial.* I.
Zeno, *Dissert. Voss.* T. II. *pag.* 172.
Tafuri, *Scritt. del Regno di Nap.* T. I. aliosque.

(4) Vid. Parrhas. *Orat. ad Patric. Neapolit.* sup. cit.

(5) Vid. eosd. pene omnes — Tristan. Caracc. in *Vit. Pont.* etc.

vacuas tantum gloriolae ergo omnia confecisse numquam vulgo poterat existimari. Neque iis in operibus, quorum Janus meminit, simile quid occurrit: verum paullo post haec ad Actium Jovianus: *e maximis ad difficilimas non semel a me confectis ac navalis rebus, praeter laudem rectique agendi conscientiam, nihil me aliud reportasse (scis Acti), sola conscientia teque ipso teste, gloriaeque contentus* (1). Verum illud potius est, quod non praeceptorem modo suum Jovianum nuncupavit, sed inter plerosque viros eruditissimos, quod audiverat, principem locum adtribuit (2). Et sedulo sane excepisse videtur ab eo, quae tantus vir in Catullum emendaverat atque adnotaverat. Istae enim animadversiones numquam in lucem emissae sunt, neque post eius mortem (3); et haec tamen Noster in primum hendecasillabum adposuit: *Neque omittam quod acri ingenio gravique iudicio Poëta Pontanus emendabat illud:* O Patroa Virgo, quod ora per virorum; *quod ipse Catullus, etiamsi suum non sit, pro suo libenter agnoscat* (4). Quod profecto iisdem fere verbis Actius Sincerus expresserat epigrammate ad Jovianum (5) de ipsa Catulliana emendatione; ait enim:

Doctus ab Elysia redeat si valle Catullus,
Et trahat ingratos Lesbia sola choros:
Non tam mendosi moerebit damna libelli,
Gestiet officio quam, Joviane, tuo.
Ille tibi amplexus, atque oscula grata referret,
Mallet et hos numeros, quam meminisse suos.

Et plura fortasse de Catulliana Joviani emendatione novissemus, si nostri Jani in Catullum commentaria non excidissent: vix enim nunc in primum alterumve hendecasillabum, veluti ex clade, adnotationes supersunt.

---

(1) Vid. Pont. *De Liberalitate.*
(2) Vid. Parrhas. *Orat.* cit. *ad Patricios. Neap.*
(3) Vid. De Sarno, ubi supra, et quos modo cum eo citavimus.
(4) Vid Parrhas. *Comment. in Catull.* inter. *MSS.* cit.
(5) Vid. Act. Sinc, Sannaz *Op. omn. Epigr.* lib. I. pag. 113. Ed. *Neap. 1732.*

Plurimam quoque operam antea dederat Guarinus Veronensis in expurgando Catullo ab foedissimis et innumeris quibus

§. VIII. Ex his porro colligere datum est, Jovianaeae quoque Academiae interfuisse. Etenim haud raro multi ex illis, qui adfuere, vel se Pontani discipulos fuisse fassi sunt, vel *praeceptorem* eum, doctorumque veluti parentem κατ᾽ἐξοχὴν nuncuparunt: neque praeterea usquam gentium, nisi in illa ab Joviano erudiri, eoque praeceptore uti poterat Noster. Academia enim Pontani schola fuit, qua doctrinam suam cum doctis viris (1), vel egregiis adolescentibus exercebat (2). Confluebant enim ad eum privato aliquo in loco poëtas historicosque enarrantem plerique. *Illo conveniebant complusculi, quibus bonarum artium studia, eademque disciplinae, atque non absimilis discendi facultas erat. Detinebat demulcebatque eos vir fandi dulcissimus egregia quadam et illustri Oratione, sermone perquam lepido et venusto totos plerumque dies* (3). Et quamvis viri doctissimi apud se plerumque dissererent, princeps ipse tamen et moderator orationis habebatur (4); unde κατ᾽ἐξοχὴν praeceptor dicebatur (5). Quod si vel Academiae, vel Lycaei nomen ob Platonis, atque Aristotelis reverentiam respuere adfectasset (6), haud obscure tamen innuit horum aliorumque philosophorum exempla instaurasse temperamento doctrinae; docendi methodo, Porticu, hortis, et iucun-

---

scatebat erroribus, nec non in restituenda vera carminum lectione, quae perdita fere erat et conclamata. Iure igitur ipse Guarinus Catullum a se iam restitutum sic loquentem inducit:

Ad Patriam venio longis de finibus exul:
Causa mei reditus compatriota fuit.

V. Corniani, *Secoli della Letterat. Ital.* T. II. pag. 42. Ed. Brescia, 1818.

(1) Vid. Alex. ab Alex. *op. cit.* ibi.

(2) Robert. de Sarno, op. cit.
Tristan. Caracc. in *Vit. Pont.*
Varchi, *Lez. II. della Poesia*, pag. 626.

(3) Alex. ab Alex. ibi.

(4) Vid. Pont. *Dial. Aegid. Act.* etc.

(5) Aquivivius in sua *Dominicae Orationis expositione*, ad illa verba: *Fiat voluntas tua,* haec praeter cetera notavit: *ut Pontani, quem unice observavi, aetatisque meae praeceptorem nuncupavi.* — Vide quoque Pier. Valerian. in *Epitaph. Pont.*

(6) Pontanus ipse ita de hac re apertissime tradidit: *ne Lyceum tamen appellaremus, tanti viri memoria nos deterruit.* etc. Vid. *De Prudent.* T. I. lib. I. pag. 147. edit. *Aldinae.*

dis quoque inambulationibus suis (1). Neque sane nostro officit argumento Jani nomen in Academicorum tabulis desiderari (2). Hae namque post Joviani obitum conflatae sunt, ex libris potissimum eius, ex quo et alii quoque desunt qui adfuere, et nonnulli fortasse temere in eas relati sunt, quia prorsa vel versa oratione a Joviano laudarentur. Janus autem ea incidit in tempora, in quibus Academiae aderant plerique viri, senesque doctissimi, qui per diuturnum tempus, et perquam familiariter Pontano uterentur. Quamobrem qui brevi et iuvenis accessit, haud tanta fortasse gratia valere potuit, ut a Pontano vel alio insigni socio scripto ad posteros commendaretur. Haud vero defuere omnino qui Nostri, velut Academiae sodalis, meminisse visi sunt. Janus enim Anysius Neapolitanus, illustris sane Academicus, aliquot post annis data ad Parrhasium satyra communium sociorum meminit, cum quibus per haec tempora ineunda fuit familiaritas, atque ita praeterea adiunxit, quae ad Academicum institutum spectare existimantur:

Quis non his tabulis dubia depingitur umbra
Commeritus, quis non hyali ridente colore
Insigni virtute vir, et spectatus amicus?
Tene ego praeteream, cui Musae tempora circum
Jusserunt hederas, et amicas serpere lauros? (3)

Quamobrem haud perperam dicendum a Tiraboschio alisque (4) inter Academicos relatum.

§. IX. Per haec quoque tempora nomina, quibus celebratur, adsumpsit (5), et primum fortasse suis in Tibullum praefixit

---

(1) Vid. Pont. *Dial. de Prudent. ad Trist. Caracc. et Puderic.*
(2) Giannone, *Stor. Civ.* etc. T. III. lib. XXVIII pag. 473. Ed. *Palmira*, 1763. — De Sarno, ubi supra.
(3) Vid. Jani Anys. *Carmina*, pag. 66, et seq. lib. III.
(4) Vid. Tirab. *Stor. della Letterat. Ital.* T. VII. P. I. pag. 123. P. II. pag. 335.— Gimma, *Idea della Storia dell' Ital. Letter.* T. II. Cap. XXXVI. pag. 462.—Signorelli, *Vicende* ec. T. III. pag. 239.
(5) Fallitur ergo Tafurius, quum ait Janum Romae sibi nomen immutasse, Leone X. Pont. Max. qno sane tempore Oratoriam in Urbe legendam conductus fuit; et hoc adeo absurdum est,

commentariis (1). Rhetoribus sane et poëtis in ratione instituti sui, et veluti in more positum erat Latino potius Graecove nomine celebrari, quam suo. Elegantiarum enim parentes et instauratores haud quaquam pati aequo animo poterant insolentiam quamdam, vel hiatum vocibus inconcinnis et barbaris in orationem induci; vel ingratis verbis, quaeve egerrime cogerentur in numeros, praeclarum carmen corrumpi (2). In suorum vero nominum immutatione haud ea Noster usus est licentia, quam vulgo autumarunt omnes prorsus, quod sciam, qui de eo scripserunt (3). *Janum* enim ipsum esse re-

ut pluribus refellere pigeat. Etenim Parrhasii libri et epistolae, vel quae ad ipsum ab amicis datae sunt; Furii Valli Apologia, Biffi, Lancini Curtii, aliorumque carmina, quae omnia annum ante 1505 procul dubio scripta fuere, nonnisi Jani Parrhasii nomen praescriptum perpetuo habent.

(1) Vid. *MSS. Lat.* Reg. Bibl. Borb.

(2) Vid. Maiorag. *Orat. pro nom. Mutat.*

(3) Eruditus Bailletus, ut ceteros mittamus, in suo opere *Des Jugemens des Savans* (Vol. V. *Deguisemens des Auteurs, Part. II. Chap. II.* pag. 180, edit. *Amsterd.* 1725.) *rude* dicit illud artificium, quo litterati sane viri Saeculi XV, et XVI. classicae vetustatis cum Graecae, tum Latinae studiosissimi, *Joannis* nomen in illud *Jani* immutabant: quinimmo adserere non dubitat eos omnino puduisse illius, quod esset Christianis commune, ideoque illud Jani prae illo usurpasse, quod numinis cuiusdam esset Ethnicorum: subinde in Parrhasium peculiariter et acerrime invehitur, quod Christianum vereque Latinum *Joannis Paulli Parisii*, vel *de Parisiis* nomen in illud Auli *Jani Parrhasii* immutasset — Nobis in praesentia minime vacat longa oratione eiusdem auctoris sententiae obviam ire; neque si vacaret, id adnotationum natura pateretur. Libet tamen heic quoque animadvertere, quod Jani aetate, ut praeclare patruus noster superius attigit, in more iam positum erat inter eruditos, ea sibi Latina Graecave nomina indere; quae in numeros facilius item elegantiusque cogerentur: constat quoque eruditos ipsos *amore vetustatis, antiquorum praeclara nomina repetisse, quasi quaedam calcaria, quae iuventutem eorum aemulatione ad virtutem incitaret* (Vid. Platin. in *Vit. Paulli II.*). Iniuria igitur Janus pro ea incessitur mutatione, quum aetatis genio et Academiae instituto ipsi indulgendum fuisset. — Neque autem ullum extat artificium, aut nominis mutatio, quum qui prius Joannes, Janum deinceps dictum fuisse comperiatur. Constat enim ex ipsis Italicae linguae exordiis *Joannis* nomen vul-

ceptumque ubique *Joannis* nomen latere puto neminem ; neque hoc totam fere per Italiam vulgari sermone aliter quam *Jannus*, vel *Janus* effertur. Ea autem ratione suscipiebant viri docti , quod facilius in numeros cogerentur (1). *Parrhasium*

go *Gianni* apud Italos obtinuisse (V. Dante, Infer. *Canto* XXX. v. 32. Can. XXXII. v. 121 ec. — Bocc. *Decam. Giorn. V. Nov.* VI. *Giorn. VII. Nov.* I.) , quod latine *Janus* haud aegerrime vertitur , ut supra dictum. Verum quo maior huic sententiae auctoritas accedat , liceat B. Mariani , poëtae quidem haud rudis , illud proferre epigramma ad Parrhasium , quo hic *Janus* salutatur, ut a nomine sibi a matre indito : ait enim Marianus:

Hoc magnum dederat nomen tibi sedula mater ,
Doctrinae ut custos , Janitor atque fores.
Nec decepta fuit : plures tua pectora fundunt
Flores , quam tellus ingeniosa ferat.
Currite nunc iuvenes studiosi , currite , Janus
Eloquii pleno pectore fundit opes.

Misso autem *Auli* praenomine , de quo satis sunt quae superius habentur , ipsum Bailletum sciscitamur , quonam ex fonte collegit *Parisii* vel *de Parisiis* cognomen in illud Parrhasii immutatum , Janumque hoc prae illo ideo usurpasse , quod Graeco fonte manaret , videlicet quod Parrhasii Lycaonis filii , aliusve Arcadis nomen fuisset ? — Quamvis sedulam operam impendissemus in colligendis quae hanc sententiam quoquo modo tuerentur , frustra tamen laboravimus , neque aliud reperire datum, quam Parrhasium gentile nomen fuisse , auctoritate Furii Valli, qui Rolandinum Panatum hanc ipsam Bailleti sententiam tenentem , acerrime de more refellit. Merito igitur ut audacem eam traducit Cl. Mennoius in suis ad Bailletum ipsum animadversionibus ; nec secus ac dictum a Vallo, et a patruo tenendum esse contendimus, nempe Parrhasium, levissima sane inflexione, ipsum gentile fuisse nomen, nec a Graeco παῤῥησία, Dorice παῤῥασία , parum retorto, deductum, ut ipse Mennoius autumat, quasi illud sibi Janus indidisset, ut copiae libertatisque suae in dicendo clarissimum indicium.

(1) Janus Pannonius , *epigr. CXXX. lib.* I. *pag. 516. edit. Traiect. ad Rhen. 1784.* ita cecinit.

Joannes fueram, Janum quem pagina dicit ,
Admonitum ne te , lector amice , neges.
Non ego per f stum sprevi tam nobile nomen ,
Quo nullum toto clarius orbe sonat :
Compulit invitum mutare vocabula , cum me
Lavit in Aonio flava Thalia lacu.

porro numquam aliud ab ipso gentis nomine fuit. Etenim vel quia *Parisium* vulgo tamen obtineret, vel quia *Parrhasium* elegantius et numerosius diceretur, certum est hoc eruditos viros prae illo usos esse. Pierius quidem Cyminus Jani nepotes, qui ex gente quidem non ex familia certe Jani erant, ut gentis nomen, *Parrhasios* nuncupat (1). *Parrhasium* quoque vocat Thomam patrem Furius Vallus (2); et quod maius, Leander Albertus, qui Consentiae aliquandiu fuit, non nostrum modo Janum, sed et ipsum Petrum Paullum, Cardinalem deinceps amplissimum, *Parasium*, et vernacula quidem lingua, adpellat (3).

Neque omittendum est Furium Vallum, et discipulum et familiarissimum Jani, quum data opera de eius nomine ageret, et illud contra inimicorum irrisiones tueretur, gentile semper esse nomen adseruisse (4): quod quidem si a graeco *παρρασια*, vel huiuscemodi alio deflexum esset, dixisset omnino. Neque urgeri potest genuinum *Parisii* nomen Vallum latuisse. Novit enim Maioragius, qui quadraginta solidos post annos eadem in urbe scribebat. Neque absurde prorsus tandem coniicere putamus induxisse sibi praenomen *Auli* vel Joviani, aliusve sodalis suasu, vel eorum exemplo: haud profecto quia putaverim singulos Academicos novo in Academia nomine salutandos fuisse; verum quia ex nostratibus, qui nomina adsumebant nova, ex illa potissimum haeresi fuisse deprehendimus. Ibi enim Joviani, ibi Actii Sinceri, Aelii, Charitaei, Compatres, Musephili, Juniani, aliique. *Auli* porro Latinis dicebantur, qui Graecis *διοτρεφεις*, ii nempe qui peculiari Deo-

(1) Vid. *Epist. ad Coriol. Martyr.* praep. *Flav. Sosipatris Charis. edit.*

(2) » *Oh inauditam, et plus quam servilem impudentiam!* (ita Vallus in Jani obtrectatores.) *Caprarium vocare Janum, qui domi suae Codro generosior est, ex iusto matrimonio primariae mulieris Peregrinae Poheriae natus, et Tamisii Parrhasii Jurisconsulti clarissimi, qui regis Aragonei Satrapa, Appulos Japygas, et Calabros, ubi praeceptori tuo ne cella quidem fuit, aliquot annos obtinuit* — Vid. *Apolog.* cit.

(3) Vid. *Descriz. di tutta l'Italia*, ec. *pag.* 207. Ed. Venezia 1588.

(4) Ibi.

rum cura, eisque veluti alentibus educti putabantur (1). Quamobrem Pontano adolescentes omnes κατ'ἐξοχὴν *Auli* nuncupantur. Fieri ergo facile potuit, ut qui *Paullus* ex graeca vi tenuis et pusillus dicebatur, quum primo in flore iuventae iam honestum sibi nomen pepererit, et maiora portenderet, veluti auctore Deo fecisset, bonumque ad omen *Aulus* adpellaretur.

§. X. Praepositi ergo tenax, alacrique interea animo incepta sua prosequebatur Janus, quum acre bellum, quod nobis improvisum ingruit (anno 1495), a proposito quodammodo divellit atque abstraxit. Aragoniorum enim solio Gallorum adventu everso (2), et res suae fractae sunt, et fere prostratae. Studia enim sua intermissa fuere omnia, et pater eius optime de Aragoniis meritus, quia harum partium studiosus propterea habebatur, a senatorio et a quovis discendi iuris munere remotus fuit (3). Quamobrem, ut sibi patrique consuleret, inclinata brevi victorum fortuna, manu illos et consilio, ut potuit, iuvit. Quod sane tum neque doctissimis viris insolens, neque a dignitate alienum censebatur: et plura sane erant, quae eo ipso tempore obversabantur oculis exempla clarorum virorum, qui Musis et Marti operam darent. Erat Jacobus Sannazarius (4), erant Aquivivii fratres, Michael Marullus, Bartholomaeus Scala, Jovianus Pontanus (5) aliique. Tangebatur porro Janus mirum in modum laudis gloriaeque cupiditate; quumque ea esset aetate, qua virtute et prudentia valeret, facile sibi in animum inducebat futurum, ut nova rerum conversione ad dignitates illustres, magnasque ad opes eveheretur (6). In omnibus propterea se strenue gessit, iu-

---

(1) Vid. Sigon. *De Nomin. Roman.* pag. 538, Ed. Basil. 1559.

(2) Vid. Giann. *Stor. Civ. ec. lib. XXIX. Cap. I.* pag. 502. Ed. Palmira, 1742.

Murat. *Annali d'Italia T. XIII. pag. 384.* ec. ediz. del 1785.

(3) Vid. Fur. Vall. *op. cit.*

(4) Vid. Crisp. *Vit. Sannaz.*

(5) Vid. de Sarno, *op. cit.*

Pont. *De Obed.* T. I. lib. I. — *De Prudent.* T. I. lib. I.

(6) *Iam vero piget meminisse* (ita Janus, in *orat. ante praelect. in epist. Cic. ad Att.*) *quod ab ingenuis artibus ad aginatorem calamum, militiamque traduxit* (Fortuna), *honestioris gradus osten-*

niorique Ferdinando ita se probavit, ut magnopere ab eo diligeretur; et quo aliqua, ob sua in eum studia, gratia referretur, in decuriam Scribarum adlectus fuit (1), et amplissima Japygiae provincia constituta (1495), cuius Tribunal ceteris praelatum, alterum a Supremo Neapolitano erat; eique Fridericus ipsemet Aragonius praeerat (2). Munus praeterea Graeco potius, quam Romano more magni apud nostrates habebatur, alterumque, ut aiunt, a Praetoris officio. Nullus enim ad eum honorem evehebatur, nisi integritatis fideique spectatae vir, quique humanarum rerum prudentia, et gravitate consiliorum praestaret (3). Illuc ergo profectus, quamvis in difficillima tempora incidisset, numquam vero vel virtutem et alacritatem in periculis, vel sollertiam et fidem in consiliis desiderari in se passus est. Sexcentas propterea illi epistolas Aragonii dederunt, quibus vel egregie facta laudabant, vel agenda fidei suae committebant (4). Ex his vero illa fertur insignior, quae per Aloysium fratrem Cardi-

---

tata spe, maiorumque commodorum, quo me fraudaret hac (ut mea fert opinio) magna gloria, qua nunc aurium vestrarum benignitate fruimur.»

(1) *Ipse Janus* (ita Vallus, op. cit.) *in eam Provinciam, quam pater rexit, adolescens Scripturam fecit, quae proxima dignitas illic est a Praefecto Regis, et apud Campanos multo honorificentior, quam olim fuit apud Romanos, qui Scribas, ut Aemilius Probus auctor est, mercenarios existimabant.*

(2) V. Summonte, *Dell' Histor. di Nap. T. IV. lib. VI. pag. 531.* ec. Ed. Nap. 1749.

(3) *Et apud illos* (Appulos Japygas) *more Graeco nemo ad id officium admittitur, nisi honesto loco natus, et fide, et industria cognita, quia necesse est omnium consiliorum eum esse participem.* Idem Vallus, ibi.

(4) Apud eumdem Vallum haec occurrunt: *Rex Ferdinandus hoc fecit initium epistolae, qua Janum in Decuriam Scribarum legit:* — Rex Ferdinandus, *etc.* Magnifico Viro Jano Parrhasio nobis dilecto — *Mox in exordio* — Quoniam compertum habemus Officium Secretarii non mediocris esse momenti, *etc.* Considerantes itaque tui praedicti Jani fidem erga nos statumque nostrum singularem, duris etiam temporibus exploratam, nec non bonarum artium studia, integritatem, et idoneam in te personam, quibus satis superque abundas: *etc.*

nalem amplissimum Ferdinandus Nostro dedit, qua pleraque eius in se suosque merita egregio elogio laudavit (1). Qui vero tantis negotiis distinebatur antiqua studia numquam prorsus intermisit. Etenim graeca, quae patre Praetore multos ante annos ibi excoluerat, tum repetivit, ipsoque eo Sergio Stizo iterum usus est (2), quem tum, ut meminimus (3), habuit praeceptorem. Inter alia porro, quibus de latinis optime meritus fuit, in Solino emendando, quod Neapoli inceptum fuerat, incubuit (4).

§. XI. Optimo autem Ferdinando fato mature functo (1496), qui eum e vestigio excepit *Fridericus* patruus, vel munere quod obibat firmavit Janum, vel alio fortasse illustriori exornavit. Rex enim data ad eum epistola, de Thoma quoque patre multa honeste loquutus, *Consiliarium suum, et secretarium fidelem* nuncupavit (5). Quapropter non restitutae modo res erant eius, sed etiam auctae; iamque opibus, di-

---

(1) Morellius in opere, *De Patricia Consentina Nobilitate*, ita ait: *Janus Parrhasius, sive Johannes Paullus Parisius, Ferdinando* II. *regi admodum charus, cuius ingentia servitia laudantur, prout ex valido Cardinalis Aloysii De Aragonia documento penes Caietanum supradicto, sit datum II. Julii 1496.*

Inter alios, quos Parrhasius reliquit, codices manuscriptos et ille quoque erat, qui *Litterae Regiae* titulum prae se ferebat, uti ex Chioccarellio deprehendimus: qui vero codex quum inter superstites non sit, inter direptos perditosque locandus est. Constabat porro litteris fere omnibus, quas ab Aragoniis regibus principibusque Janus receperat, quae innumerae pene erant, ut Vallus adfirmat.

(2) *In Iapygia demum Scripturam quum faceret, ipsum Sergium diu secum habuit.* Id. Vall.

(3) Vid. §. II. huius Commentarii pag. 4.

(4) *Si quis alter in emaculando Solino laboravit, in iis ego nomen profiteor meum. Neapoli, Lupiis in Japygia Apuliae, urbs ea Apuliae est, Romaeque nactus antiquae reverendaeque vetustatis exemplaria, quibus collatis et excusis, castigatissimum mihi codicem reddidi. Sed et hic alterum habeo vetustissimum, quem Merulae fuisse dicunt.* Ita Parrhasius ipsemet. Vid. MSS. cit.

(5) Huius diplomatis meminit Janus in Oratione ad Senatum Mediolanensem, qua obiecta sibi ab aemulis crimina refellit: immo illud perlegendum Senatoribus dedit, quo tum sua, cum patris in Reges Aragonios merita omnibus essent comperta, et

gnatione, regiaque gratia insignis ferebatur. Verum ut mortalia plerumque sunt, eo sublimius extolli visus est, quo lapsu rueret graviori. Etenim biennio fere ab auspicato primum munere (ab anno scilicet 1495), in regis invidiam incidit, locoque remotus, in tristem conditionem deiectus est (ann. 1497), Qua contumelia si fortuna excidit, fractus certo animo, si ipsi credimus, numquam fuit. *In eodem vultu*, ait, *propositoque permansi*; *quumque vicem meam dolerent omnes, quod indicat incolumi statu qualem me gessissem, solus ego fugienti fortunae laqueum mandabam* (1). Verum peiora fortasse veritus, quum in tam misera, varia, commutabilique republica ruentia omnia perspiceret, patria domoque profugus, antiqua sua studia, veluti unam ex naufragio tabulam, complexus, Romam concessit (1497); animo tamen ita saucio, ut suae perniciei auctores, quo acrius posset, exagitare numquam destiterit. Et Fridericum sane, veluti irae signum, cumprimis petivit: nam modo eum *Tyranni* nomine dehonestavit, modo imperium eius ut *tyrannidem* immanissimam traduxit; et modo iram eius, qua pessumdatus fuerat, ut iniquissimam et impotentem increpavit (2). Neque minori acerbitate in Vitum Pisanellum, et Leonardum Pratum Lupiensem invectus est, illum nempe a Secretis Re-

---

praesertim integritas, fides studia: quibus rite probatis, et huius diplomatis potissimum auctoritate, impudentes illorum calumnias retudit, atque facile protrivit.

(1) Vid. *Orat. ante praelect. in epist. Cic. ad Att.*

(2) Vid. Fur. Vall. *op. cit.*

Sexcenta extant ipsius Jani loca, quibus Aragoniorum dominationem ut tyrannidem traducit. Sed ne multus sim hac super re, illa tantum proferam in medium, quae in epistola ad Michaelem Riccium, ante Sedulii, atque Prudentii carmina legenda se praebent. In ea porro ait: *Memini ex eis* (Aragoniis) *quemdam, cui tunc ego iniquis, ut pater, fatis addictus eram, quum de te non obscure quereretur, ita exclamasse: Proh Deum atque hominum fidem! nullis umquam pollicitis adiungere nobis huncine*(Riccium) *potuisse? neque miser intelligebat in quo te accusabat apprime laudare. Nam tyrannorum munera, non secus ac ipsi, bonis omnibus sordeant necesse est... Cuius* (Riccii) *Virtutem tyrannis olim formidolosam, maximus omnis aevi rector Ludovicus* (XII) *Gallorum rex amplectitur.*

gis et a *Latere* Consiliarium, hunc e *Societate Rhodia*, ut tum vocabatur, Friderico familiarissimum (1). Quae sane aetati illi quodammodo condonanda sunt; asperrimi enim adhuc, et rudes erant mores, hominesque dicacissimi. Certo certius porro est, nullo gravi crimine turpive flagitio patrato malum damnumque Janum fuisse promeritum. Haud enim multo post Fridericus Rex honesta epistola Roma in patriam eum revocare studuit, quod numquam secus fecisset (2). Neque vero id vel venia, vel misericordia Principis indultum est. Nam quum Mediolani aliquot post annis ob patratam caedem aliudve crimen fugae accerseretur, ipsam hanc Friderici epistolam frequenti auditorio perlegi iussit, neque quidquam, quod insimulationi faveret, deprehensum in ea fuit (3). Quae autem vere perniciei causa extiterit, latet; tantum coniicimus illatum fuisse damnum, quod inconsultius, quam ea ferebant tempora, Gallorum partibus favisset. Janus enim non Romae modo et Mediolani eos laudavit et coluit, verum ubi ratio et locus admonuit, prorsa versaque oratione magnopere commendavit. Nec dubium est, quin iamdudum ab Aragoniis suus patrisque animus versus fuerit, et necessitate potius quadam coacti, quam ex animi sententia operam suam illis praestiterint (4). Nullo praterea negotio fieri potuit, ut qui inane

---

(1) Parrhasius in *Comment. in lib. II. V. 414, de Raptu etc.* ita in istos invehitur: — *An aliunde factum putas, ut Vitus ille Pisanellus homo saevissimus, et qualem pudet fateri, Lupiensque Leonardus Pratus ex iniquissimo Sacerdote pirata saevissimus, qui novo exemplo summum scelus cum summa stultitia coniuxit, ex amicitia regia (si iure queat rex ille vocari,*

» *Qui pietate caret, proprium qui non regit iram;*

ut Sedulius noster ait), ad summas opes pervenerint? Idem nempe sunt ii quicumque criminibus debent honores, ad quos indignissime provecti, tacito bonorum omnium consensu indicantur.

(2) Furius Vallus hac de re ita habet: *Rex autem Fridericus, cuius impotentem dominatum Janus non tulit, iis litteris, quibus ab Urbe eum revocabat, hunc titulum fecit* — Magnifico Viro Jano Parrhasio Consiliario, et Secretario nostro fideli. — *Sexcentas Aragoneorum litteras habet Janus, in quibus et domi suae clarissime et sancte vixisse declaratur.* Vid. *Apolog.* cit.

(3) Parrh. *Orat. ad Senat. Mediol.* Extat in Regia Bibl. Borb. MS.

(4) Maxima porro huic patrui nostri opinioni probabilitas ac-

Aragoniorum imperium fatali casu in dies ruere conspiceret, iis accederet, quos iam Mediolanensibus et Neapolitanis rebus potituros, Alpibus imminere percrebuerat.

§. XII. Ut autem Romam pervenit, ad mansuetiores Musas suas se retulit, studiaque vetera, unam misero salutem, alacritate incredibili repetivit. *Paupertas enim*, ipse ait, *artis* (litterariae) *calcar est et incitabulum. Quod ita nos esse certissimo documento deprehendimus*, *quippe qui dum integris opibus et incolumi patrimonio domi florebamus*, *litteraria studia remissius adsectabamur. Ubi vero communis illa tyrannorum procella nos*, *ut bonos omnes involvit*, *ardenter adeo mansuetioribus Musis operam dedimus*, *ut hactenus non poeniteat* (1). Urbs quidem tum amplitudine et maiestate, tum literarum studio et patrocinio caeteris praestabat (2). Quod si praeclara Eugenii IV., Nicolai V. Piique II. exempla incuriosiores, qui eos exceperunt, Pontifices adsectari visi sunt, haud tamen defuere Cardinales amplissimi, Principesque Civitatis, qui literas doctosque viros complecterentur et foverent (3). Propterea ibi Noster vetustorum codicum plurimos vel evolvit et legit, vel emendavit, vel genio quoque defraudato sibi emit (4). Tum postremam *Solino* suo manum imposuit, tum Lutatii in Papinium commentaria, quae tota fere corrupta iacebant, emendavit (5), et tum inter cetera quae excripsit, quam diligentissime ex plerisque codicibus potuit,

---

cedit ex illis eiusdem Jani verbis ad Riccium, quae supra retulimus. Etenim quum ait *meminisse se ex Aragoniis quemdam, cui tunc ipse iniquis, ut pater, addictus erat*: apertissime innuit, ita saltem nobis videtur, quod et suus et patris animus ab iisdem Aragoniis iam aversus erat.

(1) Vid. *Orat.* modo cit.

(2) Vid. Tirab. *Stor. della Letterat. Ital.* T. VII. P. I.

(3) Vid. Tirab. *Op.* cit. ubi supra.

(4) De hoc ardenti Parrhasii studio, quo Bibliothecas amicorum, et illas praesertim sacrarum aedium excutiebat, praeclarum extat testimonium in illa ipsius Jani ad Riccium epistola, qua Sedulii carmen Paschale illi nuncupat, quod fortuito, Romae fortasse, repererat.

(5) Vid. Parrhas. *De Reb. per epist. quaesit. pag. 166, Edit. Neap. 1771, et Comment. MSS. in Pap. Stat. Sylv.* inter *MSS. R. Bibl. Borb.*

Ammianum Marcellinum sibi comparavit (1). De more porro eruditos viros vel praelegentes audivit, vel familiariter coluit: et tum sane Romana Academia florebat, maxime humaniorum studiorum laude (2). Nobili enim cum fama profitebantur in ea Pomponius Laetus noster (3), merito inter literarum instauratores adnumeratus, quippe aevi sui Quintilianus meruit appellari: Antonius Flaminius Siculus, praestantis vir ingenii (4), Sulpitius Verulanus grammaticus quam doctissimus (5), Phaedrus Inghiramius iuvenis eloquentissimus (6), Augustus Baldus Patavinus graecorum peritissimus (7),

(1) Inter cetera historicorum volumina, quae in bibliotheca S. Joannis ad Carbonariam adservabantur, unum quoque erat Ammiani Marcellini exemplar, a Jano emendatum, ut Chioccarellius testatur. Sed expilata illa, ut dictum est, tot tantisque direptionibus, cum ceteris praeclarae notae direptis Jani codicibus Ammiani Marcellini exemplar deflendum est.

(2) Vid. Tirab. *op. cit. T. VII. P. I.*
Joseph. Caraf. *De Gymn. Romano. Saec. XV. et XVI.* etc.

(3) Vid. Caraf. op. cit. lib. I. pag. 138, et seq.
Spera, *De Nobilit. profess. grammat. lib. IV. pag. 423.*
Tirab. op. cit. *T. V. pag. II. e seg.*
Zeno, *Dissert. Voss. T. II. pag. 252.*

(4) Vid. Caraf. op. et lib. cit. pag. 84.

(5) Vid. Spera, op. et lib. cit. pag. 442.
Carafa, lib. cit. pag. 305.

(6) V. Carafa, lib. II. pag. 308.
Pier. Valer. *De infelicit. litterat. lib I. pag. 25.*
Asseman. *Catal. Bibl. Vat. Vol. I. Praef.* pag. LX.
Bemb. *Dial. De Culice.*
Parrhas. *Quaesit. per epist.* pag. 64. *ed.* cit.
Arsillus in Poëmate *de Poëtis Urbanis*, v. 260, et seq. ita de Phaedro et Fabio Vigile cecinit.

Quis Phaedrum ignorat, Vigilisque poëmata magni?
Maxima Romani lumina gymnasii.

Tirab. op. cit. T. VII. P. III. pag. 207. e 475.

(7) Spera, op. cit. lib. IV. pag. 446.
Carafa, op. cit. lib. II. p. 310.
Pier. Valer. ibi.
Arsillus de Baldo et Joanne Maria Cataneo ita ait:

Hieronymus Massurius Philosophus (1), Chalcidius (2) Procilius aliique nonnulli (3). Ex his vero Laetum, cuius extremas tantum excepit voces (4), et Sulpicium veluti praeceptores coluit; ceteros vero vel ut amicos, vel ut doctos novit. Et Baldo quidem, Demetrii Calchondylis discipulo, qui graecas literas profitebatur, familiariter usus est, ut et Hieronymo Massurio Foroliviensi, quem eximie laudat (5), et Joannem Laurentium Venetum (6), Bibliothecae Vaticanae olim praefectum, et tum a secretis Pontificis, virum sane multiplici eruditione praestantem (7). Quin vero prae ceteris dilexit et coluit Thomam Phaedrum aequalem suum, qui ea aetate maximis muneribus functus, ad dignitates amplissimas properabat; neque profecto necessitudo quae tum cum eo intercessit nisi cum morte finita est (8). Coluit quoque Caietanos et Sabellos primores civitatis; Raphaëlem Riarium S. Georgii Cardinalem, qui Senecae Tragoedias, Terentiique Comoedias primus in urbe instauraverat (9); et Cosmum quoque Ursinum Praesulem amplissimum, qui plurima, quae collegerat, vetera numismata, invisere ei et tractare permisit. His ergo in doctos magnosque viros studiis honesto iam frui nomine ceperat, quum Antonii Amiternini iactantia et imprudentia clarius innotuit. Erat hic bonarum literarum profes-

---

Nonne reus Musis fierem, si nostra Catani,
Et magni Augusti laudibus ora vacent?
Namque simul penitus scrutantur Numina Cyrrhae,
Argivasque docent verba Latina Deas.

(1) V. Tirab. op. cit. Sec. XV. — Spera, op. et lib. cit. pag. 425.

(2) Vid. Caraf. lib. I. Saec. XV. et XVI.

(3) Pomponius vita functus est anno 1498. — V. Zeno, op. cit. T. II. pag. 251 e seg.

(4) Vid. Parrhas. *quaesit. per epist.* pag. 115. edit. cit.

(5) Vid. Parrhas. *Comment. ad illud lib. III. de Raptu: Auctorem dubium, certumque exprimere funus*

(6) Parrhas. ibi.

(7) Vid. Carafa, op. cit. ibi.

(8) Vid. Parrhas. *Orat. ante praelect. in Epist. Cic. ad Att.*

(9) Vid. Tirab. *Stor.* ec. *T. V. P. II.*

sor (1), Statiumque eo anno in Academia praelegebat (2). Aderat de more Janus, et dicentem plerumque laudabat perquam liberaliter: verum quum Amiterninus graecorum esset omnino ignarus, seque omnia belle ex Latinis interpretari confideret, fiebat interdum, ut obscurum poëtam, quive non graecam modo eruditionem adsectatus fuerat, sed affectaverat, male et imperite interpretaretur. Quamobrem nonnumquam Janus quae minus arriserant ei proposuit, iustamque interpretationem expostulavit (3). Id facinus fuit. Vir enim grammaticus ingeniique asperrimi tum exagitare iurgiis conviciisque Janum cepit, tum minari, tum mortem ei iam iam imminere, ni cederet, per nuntium indicere. Janus autem qui furores alios noverat et expertus fuerat, grammaticas iras risit, non secus ac debuerat, Amiterninique errores toti Academiae ostendit (4). Sententiam suam porro illustriori specimine tueri ratus, longam ei dedit epistolam tanta eruditione refertam, ut mirari subeat iuvenem per bella, adversaeque fortunae calamitates vel ea firmiter animo retinuisse, vel tam brevi arripere potuisse. Victor ergo, satis iam superque notus, ipsam in Academiam adlectus est, et Oratoriam exercuit. *Neque mentiri me sinet Reverendissimus Dominus S. Georgii Cardinalis, quod ab aliis idonei existimati sumus, qui Romae, in Arce totius orbis terrarum, Oratoriam publice profiteremur* (5). Datus praeterea fuit praeceptor Bernardino Ca-

---

(1) Vid. Caraf. lib. I. pag. 184, et lib. II. Cap. I. p. 212 — Toppi, *Bibl. Napolet.* — Spera, op. et lib. cit. pag. 443.

Ab Arsillo autem data opera hoc celebratur epigrammate:

Non te Amiterne sinam, dubias sub nocte silenti
Per tenebras nullo lumine ferre gradum.
Nam tu Pegasidum iuvenes deducis ad undas,
Quos fovet ingenti Martia Roma sinu.

(2) Vid. Parrhas. *Quaesit. per epist. pag. 155.*

(3) Parrhas. ibi.

(4) Parrhasius in eadem epist. pag. 115, et seq. praeter caetera, haec quoque habet: *Certe Foroliviensis Hieronymus, vir Academiae primarius, qui disciplinarum orbem solus hoc tempore concinnavit, nostrae opinioni subscripsit, cuius iudicio tantum tribuo, ut iam quid ipse, quidve tui complices sentiant non laborem.*

(5) Vid. Parrhas. *Orat. ad Senat. Mediol. inter MSS. R. B. B.*

ietano egregio et generosissimo adolescenti, qui unicus Nicolai Sermonetae Ducis filius, Virginiique Ursini nepos imperatoris clarissimi, patris avunculique virtutem superaturus videbatur (1). Neque multo post Silium Sabellum, adolescentem quoque nobilissimum, in literis cepit erudire (2). Quapropter secunda omnia, et praeter vota quoque fluxissent Jano, si meliora in tempora incidisset. Profecto enim ad Gallos Caesare Borgia, multa immania atque atrocia Romae patrata sunt (1498). Jacobus Caietanus Protonotarius Apostolicus in vinculis coniectus est, et Bernardinus nepos, Janique discipulus sicariis immissis imprudens confossus (3). Quo patrato facinore, familiares ipsi pessumdati sunt, maximumque in discrimen ipse Janus adductus fuisset, ni Thomas Phaedrus auctoritate et gratia sua intercessisset (4). Supererat ei quidem Sabellus, qui officio et opibus de casu tristissimo solaretur: verum et id Jano fortuna invidit. Eadem enim licentia ferri et hic praeclarus adolescens absumptus fuit, parumque abfuit quin eam in tempestatem ipsemet Janus obvolutus omnino opprimeretur. Quamobrem Phaedro ipso auctore, qui alterae huic calamitati occurrere et providere impar fuit, ab urbe concessit trepidus, et se (1499) recepit Mediolanum (5).

---

(1) Vid. *Quaesit. per epist.* pag. 242.
(2) Vid. *Quaesit.* loc. cit. — Fur. Vall. *Apolog.* cit.
(3) Fur. Vall. ibi.
(4) *Quam sollicite curavit* (Phaedrus) *Alexandri VI. Pontificatu ne me Bernardini Caietani, neu Silii Sabelli* (*quorum utrumque familiariter et studiose colebam*) *tempestas involveret ! quam non libenter ex Urbe dimisit, quum metu periculi retinendum non censeret ! ut ex animo gavisus est, ubi certior a me factus, audivit in Galliam Citeriorem portum iam me tenere, Mediolanique publice profiteri !* Parrhas. *Orat. ante praelect. in epist. Cic. ad Att.*
(5) Vid. Parrhas. ibi.

Qui Nostri vitam hactenus elucubrarunt ambigere vel, ut verius dicam, nescire videntur quonam anno Parrhasius Roma concesserit Mediolanum. Nos autem pro certo tenemus id evenisse hoc anno, quem diximus (1499), et quidem mense Januario vel sequenti. Etenim ex editione Commentarii in Raptum Proserpinae constat *anno maturius* illud Mediolani confectum, et Catelliano Cottae dicatum, *ut testimonium pietatis eius in prae-*

§. XIII. Haec enim urbs prae ceteris omnibus asylum sibi tutius, securiorque secessus visa est. Galli enim, quorum partes ipse susceperat, iam rerum Mediolanensium potiti erant, et videbantur omni studio ad bonas literas excitandas incumbere. Magna porro et populosa erat Urbs praeclarissimum Insubriae caput, neque minori profecto quam Roma et Neapolis graecarum literarum laude insignis (1). Etenim Ludovicus Maurus Francisci Sfortiae filius, patris et Philippi Vicecomitis exempla longo post se intervallo relinquens, plurimo eas favore iuverat et prosequutus fuerat (2). Multos, quos doctissimos novit, in gymnasium accersit; primus Musicae Historiaeque profitendae in Italia auctor fuit; totque ad se vocavit eruditos viros, ut inter domesticos ipsos lares Academiam quamdam excitasse videretur (3). Florebant praesertim tum bonarum artium laude Demetrius Calchondyles Atheniensis (4), de quo tot tantaque extant elogia, ut nihil supra dici possit. Joannes Baptista Pius Bononiensis (5) vir sane eruditissimus, Paulli III deinceps praeceptor; Julius Aemi-

---

ceptorem, et huius erga discipulum *benevolentiae*. At Parrhasius dedit hanc epistolam nuncupatoriam etiam *Mediolani VII. Kalendas Januarias MD.* Sententia ergo nostra, ut videtur apertissime, labefactari nullo modo potest.

(1) Vid. Tirab. *Stor.* ec. T. VI P. I.
Corniani, *Sec. della Letterat. Ital. Secolo XV.*

(2) Vid. Tirab. *T. cit. P. I. pag. 19.*
Rosmini, *Storia di Milano, T. III. lib. XV.* pag. 274, ec. Ediz. *Milano*, *1820.*

(3) Tirab. *T. e P. cit.* pag. 100.

(4) Vid. Sax. *Hist. Litter. Typogr. Mediol. pag. XXXIX. XLIII. CCLXXIX. CCCCXX.* etc.
Argelat. *Bibl. Script. Mediol. T. I. P. II. col. 871. 893.* etc. *T. II. P. I. col. 1528.* etc.

(5) Vid. Jov. *Elog. vir. litter. illustr.*
Tirab. *op. cit. T. VII. P. III. pag. 272*, ec.
Sax. *op. cit. pag. CCCCXXXI.* ec.
Argelat. T. I. P. II. col. 871. 893 etc. T. II. P. I. col. 1528 etc.
Arsillus, carm. cit. v. 77, et seqq. ita de Pio loquitur:

Nota erit Hesperiis, atque Indis nota puella,
Felsineus multa quam colit arte Pius,
Idem priscorum reserans enigmata vatum,
Conspicuo reddit lucidiora die.

Antonius autem Vacca ad tumulum eiusdem Pii istud posuit *epitaphium:*

lius Ferrarius facundus Historiae professor (1), et Alexander Minutianus Appulus, qui oratoriam artem, et Typographicam magno cum plausu exercebat (2). Erant praeterea multi poëtae clari, et ut ferebant tempora, satis docti et elegantes; Lancinus nempe Curtius (3), Stephanus Dulcinus (4),

Felsina quem genuit, studiis consumptus et annis,
Ille poëta Pius, Bibliotheca loquens,
Hic situs est; quicum priscae omnis gratia linguae,
Et Plauti veteres interiere sales.

Vid. *Poët. Ital. Carm. T. X. pag. 4.*

(1) Vid. Sax. pag. XXXIX. XLIV. CCCXXII. etc. Argelat. T. II. P. II. col. 2111. etc.

(2) Argelat. T. I. P. II. col. 829. Sax. pag. CVII. CCXVII. CCCCXV. etc Tirab. T. VII. P. I. pag. 162. Ed. Nap. 1781.

(3) Vid. Sax. pag. XLII. et seq. CCCL. et alibi. Argelat. T. I. P. II. col. 531. — Jov. *Elog. Vir. litt. illustr.* pag. 74 — Lil. Greg. Gyrald. *Dial. I. De Poëtis sui temp.* — Rosmini, *Vita del Maresciallo Trivulzio*, Vol. I. pag. 629. — Tirab. op. cit. T. VI. P. II. pag. 230.

(4) Vid. Bandell. T. II. novell. LVIII. — Sax. pag. CCCVII. CCCXIV. et alibi.

Quanti autem factus sit a Jano poëta hic longe expolitus, ex hoc evincitur eiusdem Jani epigrammate, quod egregius vir atque eruditus Petrus Mazuchellius ex quodam excripsit edito eiusdem Dulcini opusculo, in Ambrosiana Mediolanensi Bibliotheca existente, et Parrhasii ad vitam exornandam dedit ad Andresium cum quibusdam aliis Mediolanensium vatum carminibus, quorum auctoritate nunnulla deinceps illustrabimus.

Janus Parrhasius Stephano Dulcino.

Nomina sunt omen: venturi prescius, Idmon
Dictus, et Hyppolitus quem rapuistis, equi.
Qui medicas Artes olim curaret, Jason:
Qui ferret longas belli Agamemno moras:
Imbuat Iliacas ut sanguine primus arenas,
Nomen ab eventu Protesilaus habet.
Moribus exhibuit, quem se promisit Orestes,
Quum rapuit lucem filius unde tulit.
Sic qui dulcis eras, Dulcine, futurus, et inter
Consortes sacri laurea prima chori,
Dulcia mella geris titulo, Graiamque coronam,
Quam tibi non demet Parca, nec ulla dies.

Joannes Biffus (1), Joannes Maria Cataneus (2), Petrus Leo (3) aliique. Ut in hanc magnam urbem Noster adpulit, obscurus et inops apud Alexandrum Minutianum civem suum primum divertit (4). Nam hic typographicae artis commoditate, quae tum per doctos viros exercebatur (5), amplas res sibi paraverat, eaque in arte uti Jani opera magna com utilitate poterat. Exceptus quidem fuit, sed dura omnino conditione. Praeter enim ingratissimum laborem emendandorum codicum, qui typis erant subiiciendi, humilior et molestior Minutiani ludi cura demandata illi fuit (6). Scio quidem munus tum emendandi et magni factum, et merito, neque Lascarim (7), neque Erasmum (8) aliosque (9) a dignitate sua alienum putasse vel Florentinae, vel Aldinae Typographiae operam suam praestare: verum quum omnia Nostro Minutiano Auctore et veluti praeceptore peragenda fuissent, haud aequo animo iniquus labor ferri poterat. Suscepit tamen onus, temporibusque lubenter inservivit. Quamobrem nonnulla emendatione sua Minutianis typis impressa novimus, ut Virgilii Cyris (10) eiusque Vita, quae ab imperitis Servio tribuebatur,

---

(1) Sax. pag. XXXIX. CXXXIX. CCCXVI. CCCLIII. CCCLXIII. etc. — Mazzucchelli, *Scritt. d' Ital.* — Tirab. T. o P. cit. pag. 229. — Rosmini, *Vita cit.* pag. 626.

(2) Sax. pag. DXXIV. DXXVI. etc.
Tirab. T. VII. P. III. pag. 201. etc. — Plura sunt penes nos huiusce vatis epigrammata in Minutianum, quorum debitores sumus eidem praeclaro Mazuchellio, cujus supra meminimus.

(3) Sax. col. CCCCI. CCCCIII. etc.

(4) Vid. Parrhas. *Orat. ad Senat. Mediol.* inter MSS. R. B. B. Fur. Vall. Apolog. cit.

(5) Tirab. T. VI. P. I. T. VII. P. I.

(6) Vid. Parrhas. *Orat. cit.*

(7) Tirab. ibi.

(8) V. Maittaire, *Annal. Typogr.* V. I. pag 122.

(9) Vid. op. modo cit. V. I. pag. 108.

(10) Parrhasius ipsemet in Comment. ad illud. lib. III. de Raptu: *Antra procul Scyllaea petit*, etc.
haec testatur: *Ita sane legendum, non Scylla, ut vitiati codices habent. Ex Graecis quidam prodiderunt Scyllam Hecates esse filiam: sed Hecaten et Cratein eamdem accipit Apollonius. Ex hac historia Virgilii versus ex Ciri mendosos, ut sillabis olim vacillantibus, in hos redegimus numeros, ipsique Minutiano dedimus imprimendos.* ec.

et ab ipso primum Donato vindicatam (1), et id genus alia. Quae vero ferenda ei fuere pro tuendo hospite, maiora sane sunt. Nam quo difficili asperoque ingenio fuerint tum grammatici atque poëtae latere puto neminem; utque pro literula una alterave apice infandas iras et odia teterrima excitarent (2). Minutianus autem quum Ciceronis opera edidisset (anno 1498 et 1499), suaque ex sententia emendasset (3), maximam grammaticorum in se conflavit invidiam, et furores, ut ita di-

---

(1) Janus in vers. 2. lib. I. *De Raptu*:

Jam vagus irrupit pelago, etc. ita commentat: *Vagus, errans, quae navigantibus apta vox est. Tiberius Donatus in vita Maronis:* Orestes, *ait*, circa Siciliam vagus. *Tiberius inquam Donatus, non Servius, ut vulgo fere creditur. Sed Donati iam titulo nostra castigatione Minutianus impressit* — Furius Vallus insuper ita Jani sententiam adversus ineptissimas Ranati invectivas tuetur: *A Jano sunt omnes antiqui codices, et Hermolaus* (Barbarus), *qui Donatum citat in Maronis vitam, non Servium.* V. Apolog. cit.

(2) Nemo est, iudicio meo, in Italicae litteraturae historia adeo peregrinus, ut eum omnino lateat, quae fuerit doctorum huiusce saeculi, grammaticorumque indoles ad iras et odia proclivis, quod facile ad convicia, ad calumnias, quinimmo et ad struendam ultimam aemulis perniciem minime abhorrens ingenium. Quem fugere quaeso potuerunt irae, quae inter altae sane mentis viros Cardanum et Tartaleam acerrimae pro suis in Mathesi inventis efferbuerunt? Quem illae quae inter Albertum Pium et Desiderium Erasmum, inter Aretinum et nonnullos alios, et praesertim Donium intercessere? Cui novum triste vere acerrimumque bellum, quod a Caro adversus Castelvetrum, et vicissim pugnatam est? Vel illud lacrimabilius duriusque, quo Torquatus, poëtarum aevi sui facillime princeps, acriter inurbaneque, ut Cl. Montius ait, a Leonardo Salviato, nonnullisque aliis exagitatus fuit, quum rerum omnium angustiis premeretur, et vinculis ut delirus ab illis coerceretur quos in hominum existimationem suis carminibus vindicaverat? Sed de his iam satis. Adeat Tiraboschium ceterosque Italicae litteraturae scriptores qui plura desiderat, penes quos plurima sane eiusdem naturae extant exempla.

(3) Vid. Sax. op. cit. *pag. DCIV. et seq.*

cam, excivit. Julius praesertim Ferrarius signa movit (1), qui de Cicerone optime meritus ferebatur (2). Accessit vehementissimus quidam Cyrnaeus *Damiani Nautae* nomine, et eorum scommatis, orationibus, epigrammatis, et publico in foro propositis misere exagitatus et perditus erat Minutianus (3). Qui quamvis ferox iraeque intemperantis, ita ut *Appula Musca*, molestissimum volucris genus, adpellaretur (4), tamen qui malos versiculos et aegerrime faceret (5), ab his aliisque nonnullis gravissime vexabatur (6). Accedebat quod multi causa eum excidisse palam iudicarent; patebat enim editum opus evidentissimis erroribus scatere, eâque audacia et petulantia Minutianum fuisse, ut auctoritate vel analogia codicum reie-

---

(1) Vid. Fur. Vall. in *Jani Parrhas. Apolog.*

(2) Vid. Sax. p. XXXIX. XLIV. CCI. CCCXXII. etc. Argelat. *Bibl. Script. Mediol. T.II.P. I. 611, 613, 615*, etc.

(3) Furius Vallus in Apolog. cit. ita refert: *Inimicitias cum Julio Damianoque susceptas a Jano sciunt omnes, ut Alexandrum tunc ejus hospitem, quem concionibus et in foro propositis epigrammatis illi lacerabant, obiecto Minervae clypeo tueretur.*

(4) Innumera pene heic adferre possem doctorum hominum testimonia, in quibus *Appulae Muscae* nomen Minutiano apertissime datur. Sed ea lubenter missa facio, ne operam inani in re penitus perdam, unumque heic proferam in medium ipsius Parrhasii locum, ex quo illius denominationis ratio, ut ita dicam, deprehenditur. Janus quippe in *Comment: ad v. 290, lib. III. de Raptu*, ait: *Quod si certius exactiusque invidiae simulacrum desideras*, Appulam Muscam *spectes oportet, cui neque verius, neque convenientius, quam Muscae nomen dari aut fingi potuit. Nam ut integras corporis partes praetereunt muscae, et ad ulcera sese conferunt: sic is undique invidia diffluens, dissimulatis animi bonis, et vitae splendore, in hominum dumtaxat labeculis immoratur, omniaque detorquet in peius.*

(5) *Hoc autem* (ita Vallus) *dedita fecit opera Janus, ut musicum certamen ab hospite, qui versus nullo scribit Apolline, in se transferret.* Et paullo altius haud absimilibus verbis usus fuerat, de eadem re disserens; dixerat enim: *Iste vero symius* (Panatus) *in oratione soluta cur eam licentiam* (Anastrophen) *sumpserit, equidem non video, nisi forte quod carmen aut numquam, aut infelicius Appula Musca facit: hinc ostentare poëtam se voluit, atque ex furore, quum poëticum nihil habeat aliud.*

(6) Vid. eumd. Vall. ubi supra, et alibi.

cta, cerebrosas suas interpretationes interpolasset (1). Janus propterea hospitii charitate ductus, causam eius suscepit, multasque eius emendationes tueri adgressus est, et pleraque clam in Julium et Nautam conscripsit carmina, quae nomine suo Alexander in eos emittebat (2). Deprehendit tamen fraudem acer Nauta, et male habuit auctorem (3). Quamobrem in scenam palam prodiit Janus, quumque a Nauta et criminis quoque insimularetur, hoc illi carmen dedit:

Rebus ab obscoenis si quid tibi, Nauta vacaret,
Fibra nec ingenii cassa calore foret;
Pandere melliflui potuisset carmen Homeri
Parrhasium culpae nullius esse reum
Quod mores hominum multorum vidit et urbes,
Et quonam iaceat terra fretumque situ.
Non minor Atrides, non hoc sibi turpe putavit
Dardanus Aeneas, Telemachive pater.
Si fortuna levis de Consule Rhetora fecit,
Et ferulam gerimus qua prius arma manu:
Nonne Syracusius solatia magna Tyrannus
Hac ipsa dura reppulit arte famem?
Quin etiam cui Roma dedit venerata Curules,
Auxilium profugo docta Cathedra tulit.
Nunc mea si iaceat penitus fortuna, tamen non
Tetrior esse potest, inferiorque tua (4).

---

(1) Ad hoc allusisse videtur Parrhasius, quum in epistola ad Aldum Pium Romanum ita ait: *Non me fugit hoc observandi genus ex collatione exemplarium a quibusdam irrisum, quum iudicio potius oporteat uti. Sed ii sunt, qui in alienis operibus quum ingeniosi videri voluissent, ineptias effutiverunt.*

(2) Vid. Fur. Vall. ibi.

(3) *Hoc autem dedita fecit opera Janus, ut musicum certamen ab hospite, qui versus nullo scribit Apolline, transferret in se. Neque consilio frustratus est. Accepit rem veterator, et ita rescripsit.*

Non tibi, sub docto lambenti crustula, carmen
Misi; cui dederam tam bene notus erat.
Ille igitur noto carmen conscribere Nautae
Debuerat, nugis tu magis aptus eras.
Erroni carmen quis doctus tradet habendum,
Vel vix si salve dixerit, ille vale? etc. Idem Vallus.

(4) Vid. eiusd. Vall. op. cit.

§. XIV. Ut vero Janus periculo illustriori Alexandri res tueretur, Aemilii ludum ingressus Orationem habuit qua, eo laudato, Tullianas illius emendationes quo disertius potuit, defendere conatus est. Ferebat ea Julius, sed Nauta nequaquam tulit: quamobrem iurgiis et conviciis Janum coram pessime excepit (1). Noster quidem certe sibi non defuit, et vehementius deinceps inimicos exagitavit. Neque profecto irae aliquando deferbuere, modusque aliquis grammatico bello impositus est, nisi Julii excessu. Quum enim a Sfortia unice penderet, caussamque eius probaret, potitis rerum Gallis, quo sibi fuga consuleret, Mediolano profectus est, atque Aronae ad Verbanum lacum delituit (2). Verum, quum antequam ex urbe discederet longam in Minutianum orationem habuisset, qua de difficultate quoque et iniquitate temporum vehementer questus est, duo in eum Janus dedit epigrammata, alterum Alexandri nomine ad Nautam, qui veluti vices eius gerebat; alterum suo, quo Gallos laudabat, eosque ab Julii insimulatione tuebatur (3). Quamvis ergo tot tantisque officiis non hospitii modo beneficio plane respondere, sed longe maiori gratia sibi Alexandrum Janus demereri videretur; attamen illud utriusque ingenium erat, ut aegre societas illa coacta primum inter eos fuerit, et aegre toto eo tempore duraverit. Minutianus enim avarus erat ad sordes usque, invidus et subdolus senex; iuvenis contra Parrhasius, liberalis,

---

(1) In opere Furii Valli numquam satis laudato haec quoque legenda se praebent: *Janus vero in Aemilium Nautamque nihil umquam tentavit, quod animos eorum iure posset offendere. Venit in auditorium Julii, de litteris et eruditione periculum facturus in Alexandri causa, quam susceperat. Eius orationis exordium fuit a laude Julii. Quam nisi Nauta conviciis interpellasset, omnibus palam fuisset a Jano disputandi rationem teneri, quam Socrates amabat, absque contentione. Sed quia per eos initium turbae factum, Janus sibi deesse non debuit.*

(2) Vid. Argelat. op. cit. T. II. P. II. col. 2111.

(3) Epigrammati in Aemilium hoc fecit initium Janus:
Quid tantum queritur se Julius urbe fugatum
In sua cunctantem saxa referre pedem? etc.
Illi vero, quod Minutiani nomine ad Nautam misit, istud:
Quum mea, Nauta, tuae violassent lumina gerrhae, etc.
Nos utrumque dabimus in adpendice.

acer, gloriae cupidus, obscuraeque illius vitae rationis impatientissimus. Quamobrem quum in Minutiani ludo, ultra quam aequo ferre posset ille senex animo, Janus innotuisset, ne in apertum fortasse bellum erumpere cogeretur, contubernio eius excedere in animo instituit (1). Et plures quidem erant ei aperiendi litterarii ludi auctores, et Catellianus Cotta potissimum, qui et domo sua excipere, omnique ope fovere pollicebatur. Erat sane is re familiari amplissima, adolescens generosissimus, supraque aetatem quoque eruditus (2). Quamobrem accepit lubens Janus oblatam occasionem, hospesque Cottae factus omni officio cumulatus potius, quam auctus fuit (3). Nobilissimi statim adolescentuli ad ludum eius confluxerunt; neque Demetrius Calchondyles summus vir alii, quam Jano, Theophilum filium, miri ingenii puerum, maluit commen-

---

(1) *In propatulo*, ita Vallus, *votis omnibus optat opes* (Minutianus), *habetque pecuniae summum studium; dignitates affectat non ad ornamentum vitae, sed ad quaestum, quo refert omnia. Potentes et qui sunt cum imperio colit, ut iniuriarum maleficiorumque poenas lucretur .... Diligit ex animo neminem. Cuius amicum se simulat, in hunc insidias primum nectit.... Sed vir* (Parrhasius) *ab ineunte aetate versatus in luce negotiorum, privatae vitae latebris offendebatur, in qua nihil hominum generi, aut minimum certe prodesset.* — Et antea de eodem Jano haec loquutus fuerat: *Vir est.... comi facilique natura; nec umquam de mercedibus pactus; inde discipulis et contubernalibus charus.*

(2) Parrhasius in *epist.* ante *Comment. in Rapt. edit. Mediol. 1501*, ita Catellianum alloquitur: *Vide quanta vis bonis artibus sit, Catelliane. Quum multos omnis ordinis aetatisque discipulos habeam, morum gratia charissimos, noster in te tamen amor praecipuus est et singularis: non adeo sane quod tuis facultatibus aeque utar ac meis, quam quod admodum praetextatus tanta bonae frugis argumenta cottidie praebes, ut quae indoles in aliis appellatur, maturae in te virtutis specimen praeseferat.... Sanctissimi vero mores, ingenium, memoria, studium, dicendi copia quem non excitarent ad vos amandum? Versus et epistolae, quas tu* (*cuius hoc proprium munus est*) *cottidie meditaris, fidem nostri sermonis absolvunt: in quibus opulentiam Ciceronis florente Plinii parsimonia temperas; ut in carminibus elegantiâ Tibulli Martialis argutiam.* — Vid. Sax. op. cit. pag. CCCCXXVI. ann. MD. Argel. op. cit. T. I. P. II. col. 485.

(3) Vid. Parrhas. epist. cit.

dare, qui statim argumentum in tertium librum Claudiani de Raptu confecit (1). Tulit id aegerrime Minutianus, clamavitque ubique contra ius fasque abstractos a se discipulos ad se Parrhasium invitasse (2). Quamobrem obloqui de eo aperte cepit, et multa in eo notare, crescentemque Jani gloriam iniquissime ferebat. Brevi quidem, veluti emancipatus, laudem suam longe lateque produxit et auxit; utque de se conceptam expectationem iuvaret, Commentaria in Raptum Proserpinae Claudiani, in Minutiani ludo praelecta, Cotta auctore conscripsit, et paucorum mensium lucubratione confecit. Quumque beneficiorum magnitudine, quibus a Cotta exornabatur, maximopere teneretur, quo aliquo saltem pacto eis responderet, tanto disciplulo dicavit opus, quod eo auctore primum susceperat (3); neque satis fuit generoso et diviti quondam viro ea officia semel extollere, egregiisque elogiis posteris commendare; verum ipso in opere totam Claudiani ad Florentinum elegiam sibi Cottaeque suo praeclaro aptavit exemplo (4). Jam vero typis coeperat opus excudi, quum Antonii Rubreni morte interruptus aliquando fuit (1500). Erat is suavissimus Ja-

---

(1) Vid. *Cl. Claud. De Raptu Proserp. cum Comment. Jani Parrh. lib. III.* Ed. Mediol. 1501.

(2) Furius Vallus in Apolog. cit. convicia atque calumnias Damiani Nautae, qui Minutiani vices gerere videbatur, hoc modo refellit: *Habeas* (Janum) *confessum reum, si quod ultimo loco ponis ostendes, ab Alexandro vel unum discipulum abduxisse, praeter Catullianum Cottam, cuius hospitio Janus est usus Alexandri permissu, nisi simulata fuit eius oratio.*

(3) Vid. Parrhas. *epist. cit.*

(4) *Haec elegia tota tua est* (ita Parrhasius in *Comment. ad lib. III. v. I. de Raptu.*) *Catelliane; nam agnosces in te, quae in alio laudat Claudianus. Agit enim gratias Florentino, cuius recenti liberalitate provocatus, ad carmen redierat, angustia rei familiaris intermissum, atque ingenua attestatione quidquid deinceps scripserit amico acceptum refert. Inde nos exemplum sequuti sumus. Nam quum tu nos invidiae telis eiectos, eius quam nemo bonus umquam vitare potuit (ex qua fortunam non dicam, ne vanus iis qui rem nesciunt, aut arrogans videar), opibus et officiis cumulatissime iuveris, necesse est ut nos itidem in te ornando rationes omnes nostras conferamus.* etc.

ni discipulus, suique amantissimus, adolescentulus eximius, non genere tantum maxime conspicuus, sed et felicitate quoque ingenii qua utebatur (1). Nam vix puer scita et eleganita pangebat carmina, quorum specimen illud sit, quo totius secundi de Raptu Proserpinae libri sollerter sententiam clausit (2). Tantum damnum luctumque aegerrime tulit Janus, longoque epicedio ad Cottam dato moerorem levare aliquantulum studuit (3). Commentaria tandem in lucem prodierunt (1501), variaeque, ut fit, de iis statim sententiae latae sunt. Docti viri excepere lubentes, laudavere certatim, elogiisque cumulavere potius, quam exornarunt. Lancinus Curtius (4), Joannes Maria Cattaneus (5), Benedictus Marianus (6), aliique (7) scita de eo dederunt epigrammata. Symbolam quoque suam, immo duplicem ex ipsa Roma dedit Thomas Phaedrus Romanae Academiae decus et lumen (8). Aemuli vero, qui plu-

---

(1) Vid. Parrhas. epist. ad Catell. Cottam ap. Sax. *Hist. Litt. Typogr.* etc. pag. CCCCXXVI.

(2) Vid *Cl. Claud. De Raptu etc. cum Comment. cit. lib. I. edit. Mediol. 1501.*

(3) Illud epicedium ex Sax. op. cit. excriptum, in adpendicem referre curabimus.

(4) Apud Fur. Vall. op. cit.

(5) Vid. *Claud. de Rapt.* edit. cit.

(6) Vid eumd. Vall. ibi. et edit. cit.

(7) Ne omnia silentio praeterita faciamus epigrammata, quae docti illus aetatis viri effuderunt ad exornanda Parrhasii Commentaria in Raptum Proserpinae Claudiani, illud heic propter brevitatem referre libet, quod Antonius Motta ad eumdem Janum dedit, quod sic se habet:

Persephonem Stygias quum luridus Orchus ad undas
Avectam, rapidis imposuisset equis;
Sparsa per anfractus relegens vestigia currus,
Praetulit accensam lampada maesta Ceres.
Si mihi cum venia liceat dixisse parentis,
Offendent magnos nec mea vota Deos,
Maiorem tibi, Diva, facem fert Claudius, et qui
Illustrat Vatis carmina, Parrhasius.

(8) Pahedri epigrammata ita se habent:

Quid miserae prodest Cereri exorasse Tonantem
Ut natam alternis mensibus adciperet?

rimi erant, censorio supercilio de more omnia excutientes contempsere; frigidique quidam invidi quum inficiari nequirent pleraque sollerter emendata, scite inventa, exquisite investigata, sapienterque exposita in Commentaria inveniri, abiudicarunt Jano opus, fabulamque disseminarunt, Domitium nempe Calderinum, paucis ante annis defunctum, eorum esse auctorem; qui quum morte praeventus in lucem emittere nequivisset, ea uti erant manu exarata, et quodammodo incompleta heredibus reliquerat, ex quorum manibus in illas tandem Minutiani pervenerant. Ex hoc codice, quum apud Minutianum diversaretur, aiebant aemuli *Janum surripuisse quidquid boni dixerat* in suis in Raptum commentariis, et illud ut suum venditasse (1). Noster autem si gratus illis fuit, postremos hos potissimum risit (2). Plurimi enim

---

Rapta erat ab Diti rursus Proserpina avaro,
Obrùtaque in Stygiis illa latebat aquis.
At bonus adsurgit Janus, qui vindice lingua
Eripit e manibus, raptor acerbe, tuis;
Et iubet ad Superos ire, et volitare per ampla
Ora virùm; tantum plus Jove, Jane, potes.
Jane, tibi Dea si tantum Proserpina debet,
Quae ratio adcipiet nomina, dic, hominum?

Alterum eiusdem.

Quis haec tibi, quis auctor e penu dedit
Reposta vatum? originem unde subscipis
Tibi? ut recludis abdita et recondita,
Habesque sensa, Jane, cognitissima,
Quibus misella turba litteraria
Tenetur impedita, nec potest viam
Videre, quaerat unde quod petit sibi.
Anne ipse Janus omne qui biceps videt,
Geritque clavem, aperta fecit omnia?
Vel es receptus hospes ab choro Deùm?
Sit ut lubet: vovetque dedicatque se
Tibi Latina et Attica eloquentia.

(1) V. Roland. Panati *Invect. in Janum Parrh. etc. Invect. ultima.*
(2) Furius Vallus, in op. cit. hac de re ita fatur: *Ecce tota velificatione in eum* (Panatum) *ferimur, eiusque deliramenta quo decet ore concerpimus. Nam quamquam Janus ab istius ineptiis ita manum continet, ut ab animalibus parvis, et obterentes inquinantibus; ego tamen haud dissimulandum puto, quod homines ad accipiendas iniurias patientia facit opportuniores.*

erant, qui de se periculum satis superque fecerant, et ea ipsa iamdudum in Minutiani ludo praelegentem audiverant (1). Neque de eo Domitii codice auditum fuerat quidquam (2), neque si extitisset vel dicendi ratio, vel eruditionis interpretandique genus convenire poterat.

§. XV. In ludo interea suo omnium primus data opera libellum *De Viris illustribus*, qui vulgo C. Plinio Caecilio, Svetonioque Tranquillo tribuebatur (3), Cornelio Nepoti vindicabat (4). Quumque grammatici optimo consilio eo frequenter in Scholis uterentur, et codices quos Melleus, Lampugnanus (5), aliique ediderant, toti scaterent erroribus; Cottae suo auctor fuit, ut Nepotis nomine et quam emendatissime edi curaret (6). Dicto paruit Catellianus, collatoque labore, ex probatissimis codicibus libellus est emendatus, et in lucem (1500) editus (7). Doctam quoque epistolam Cotta dedit Tristano Calcho Historiographo egregio (8), multoque ex capite et suum et Jani consilium docto viro probare contendit. Quam sententiam quum Mediolanensibus haud probari deprehenderet ipse Janus, longa oratione data opera, ut potuit, negotium confecisse visus est (9).

Neque vero putandum est istis tantummodo curis adeo a

---

(1) Vid. Parrhas. *epist. praep. Comment. in Rapt. Proserp.*

(2) *Sed saltem*, ita Vallus ad illa Panati verba, *verosimilia confingerent.. An si Domitius in Claudiani poëmata quidquam lucubrasset, assertor utique non veniret, ut eorum quae dictavit in Svetonium, Silium, Ciceronis epistolas ad Atticum?*

(3) Vid. Catell. Cottae *epist. ad Trist. Calch.* in qua sic legere est: *Libellum de viris illustribus, elegantissimo stylo conditum, quidam Svetonii Tranquilli, plerique Plinii Caecilii suspicantur.* etc. Ap. Sax. op. cit. col. CCCCXXVII. ann. MD.

(4) Vid. *Cott. epist.* modo cit.

(5) Quoad diversas huiusce libelli editiones, et illas praesertim, quas Melleus et Lampugnanus antea curaverant, Vid. Sax. op. cit. pag. DXLII. et DXLVII.

(6) Vid. Cottae *epist. cit.*
Gerard. Joann. Voss. *De Hist. Lat.* lib. I. Cap. XIV.

(7) Vid. Argelat. op. cit. T. I. P. II. col. 485.

(8) Vid. Sax. op. cit. col. CCCCXXVII. etc.

(9) Vid. *MSS. Lat. R. B. B.*

Nostro indultum, ut plura simul et alia instituere atque perficere nequivisset. Etenim quum Rubreni morte, ut dictum est, editio Commentariorum in Claudianum de Raptu praepedita aliquandiu fuerit, ne conducti impressores maleferiati otiarentur, ad aliud excudendum opus animum adpulit; poëmata nempe Sedulii et Prudentii, et Paschale praesertim illius carmen, quod veteres de more bibliothecas excutiens nuper invenerat (1). Fecit sane, Michaëlique Riccio civi suo dicavit. Venerat hic paullo ante Mediolanum ex Gallia, totius Insubriae Praeses, profecturus deinceps Neapolim Protonotarius, quum iam Neapolitani regni superiores provinciae, Friderico Aragonio pulsu, Gallorum Regi cessissent; vir sane integerrimus, neque legum modo, sed et bonarum literarum prudentissimus (2). Horum ergo Poëtarum editioni sedulo incumbens Janus, ad id brevi adduxit rem, ut ista pari fere gradu cum editione Commentariorum aliquandiu processerit, deinceps vero adeo praecucurrit, ut metam prius feliciter pertigerit (3). Quibus profecto egregiis studiis Jani nomen adeo omnibus innotuit, ut quum Aemilii fuga Oratoriae artis Cathedra vacaret, ipse Noster a Georgio Cardinali

(1) Vid. Parrhas. *Epist. ad Michaël. Ricc.* praep. Sedul. et Prud. edit. Mediol. 1501.

(2) Vid. Tafuri, *Scritt. del Regno di Nap.* T. III. P. I. pag. 64. ec. — Calogerà, *Opusc.* T. X. — Argelat. op. cit. T. II. P. I. pag. 1503 — Tirab. *Stor. della Letterat.* ec. T. VII. P. II. pag. 359. aliosque.

(3) Sedulii et Prudentii editio absoluta est *Mediolani Idibus Junii* 1501; illa vero Commentariorum etiam *Mediolani*, sed *pridie Calend. Sextiles* ejusdem anni.

Nec praetereundum est, quod Senatus Mediolanensis, Ludovici XII. Gallorum Regis, et Mediolani Ducis nomine et auctoritate, apposito diplomate sub die 17 Aprilis anni 1501 poena sancivit, ne quis quatuor per annos in toto dominio Mediolanensi typis imprimenda traderet, vel alibi impressa quovis modo venderet, in auctoris detrimentum, Commentaria in Raptum Proserpinae Claudiani, quae *Disertissimus vir Janus Parrhasius iam iam editurus erat*. Idem quoque decrevit de Sedulii et Prudentii editione, ut ex hoc diplomate nullo negotio deprehenditur: *Ludovicus Dei gratia Francorum, Siciliae et Hierusalem Rex, ac Mediolani Dux etc. Universis et singulis praesentes inspecturis salu-*

Ambasio Ludovici XII. in Italia Vicario, honesto diplomate, iustoque stipendio proposito, ad illud munus evectus est (1).

§. XVI. Neque prudentissimus Madiolanensis Senatus a vo-

---

tem. Quoniam vir eruditissimus Janus Parrhasius Civis noster Neapolitanus Nobis exposuit, Sedulium atque Prudentium, praestantissimos Religionis nostrae poëtas, suis impensis et industria nuper in lucem datos, suppliciter petens, ut opportune sibi caveremus, nequis nova editione laboris eius quantuloscumque fructus interverteret; et aequum videtur de vero Dei cultu benemeritum relevare: propterea suae petitioni libenter annuimus, atque per has nostras decernimus, statuimus et edicimus, nequis propter eum, aut alium cui Janus ipse concesserit, in toto hoc Mediolanensi Nostro dominio dictos auctores separatos, aut simul cum aliis operibus, aut quovis denique modo imprimat, vel imprimi faciat, aut alibi impressos sub praedicto Nostro dominio vendat, vel venales importet, sub poena aurei unius pro singulis voluminibus, applicanda partim Camerae Nostrae, partim resarciendae iacturae, si quam propterea Janus ipse passus fuerit, praesentibus hinc ad annos quatuor valituris. — Data Mediolani, die primo Julii 1501, et Regni Nostri quarto — Per Regem Ducem Mediolani — Ad Relationem Consilii — Julius.

(1) Habemus adhuc huiusce diplomatis exemplar, quod heic referre lubet, tum ut pateat quanti factus esset Parrhasius a Senatu Mediolanensi, et a Regis Gallorum Vicario, tum ut in eo vel novissimum itemque longe validius argumentum habeatur ad refellandas aemulorum calumnias, quas patruus noster deinceps commemorabit. Esto igitur. *Georgius de Ambasia, tituli S. Sixti praesbyter Cardinalis, Archiepiscopus Rothomagensis, Comes Sartiranae, Regius Ultramontes Locumtenens Generalis Christianissimi Regis etc. Vacante loco publico lecturae lectionis Artis Oratoriae in inclyta Urbe Mediolani, per absentiam magistri Julii Novariensis, egregius Janus Parrhasius Neapolitanus petiit sibi de illo loco provideri. Quare nos freti doctrina, moribus, et integritate eiusdem Jani, illi annuimus, et magistrum Janum constituimus ad publicam professionem ipsius artis Oratoriae in dicta Urbe Mediolani, ad placitum Christianissimi Regis nostri, cum solito salario. — Datum in Arce Portae Jovis. Mediol. die 14 Augusti, 1501.* — Vid. Chioccarell. *De illustr. Script.* etc. pag. 232. — Quanti autem Mediolani conductus fuerit Janus, ex Fulvio Vallo colligimus, qui hac de re ita ait: *Janus centenis quinquagenis aureis e fisco conductus, malignitatem ex privato conferendi non sentit, ut quidam* etc. Vid. *Apol.* cit.

luntate Cardinalis Amplissimi discrepavit. Immo quum praeclarum aliquod de Parrhasio periculum fecisset, locupletiori eum testimonio, illustriorique sententia firmavit. Quamobrem longam ad praestantissimos viros orationem Janus habuit, qua maximas eis agit gratias tum quod de se praeclare sentirent, tum potissimum quod ea charitate patriam prosequerentur, eaque sedulitate et cura bonis studiis prospicerent, ut nisi praeceptorum scientiam, mores industriam penitus perspectam probassent, numquam tam chara pignora, munusque tantae prudentiae et consilii iis committerent: et hoc sane orationis exordio usus fuit: *Gratulor*, ait, *literis, gaudeo mihi, Patres optimi, qui tandem inveni quod diu multumque desideraveram, ne nostri temporis Principes, aut etiam Magistratus temere cuipiam docendi munus iniungerent. Habeo vobis gratias, et quidem maximas, Viri Clarissimi, qui de nostris studiis adeo solliciti estis, ut me, licet illustri Amplissimi Domini Cardinalis Rhotomagensis, qui Christianissimi Regis personam sustinet, iudicio comprobatum, non tamen prius ad erudiendam Mediolanensem iuventutem admiseritis, quam vigilantissimis vestris oculis exhibitum aliquod periculum facere spectaveritis* (1). Neque porro a pristina fortuna vel ea a dignitate, ad quam evehebatur, alienum putavit pauperem se ingenue fateri; et quo imperitorum invidiam deflecteret, de paupertatis laude multa quoque disserere. *Paupertas iam pridem*, ait, *virtutis et doctrinae contubernalis est, frugi, sobria, parvo potens, aemula laudis, habitu secura, cultu simplex, consilio benesuada* (2). Tot ergo tantorumque virorum sententiis honestissimis exornatus, ad Regiam Oratoriae atque Historiae Cathedram evectus est. Neque facile dictu est, quanto cum plausu praeclarum munus adgressus fuerit, quantàque obierit cum laude (3). Nobilissima quidem in urbe a literarum instauratione professi Ora-

---

(1) V. MSS. Lat. Reg. Bibl. Borbonicae.
(2) Vid. Orat. cit.
(3) Ad rem Vallus in Jani *Apolog. Meritus est*, ait, *et in dies magisque meret de bonis et honestis artibus Janus. Affirmant ingenui nec obtuso (sicut es ipse, Panate) iudicio, neminem Mediolani pluribus abhinc annis adeo iuxtam Rhetoris personam sustinuisse.*

toriam fuerant primi subsellii viri (1), plurimique erant qui Decembriorum, Barziziorum, Philelphorum, Merulae, Pii, Aemilii cum grati animi sensu, maximoque cum elogio meminerint. Nihilo tamen secius Rethores eriditissimos suffragio omnium aequavit Parrhasius; plurimorum vero longe quoque illos superavit (2). Et re quidem vera Paullus Jovius vir sane quam doctissimus, qui Janum Romae et alibi fortasse praelegentem audivit, haud fateri ambigit eruditis omnibus aevi sui viris, quod ceteras inter aetates humaniorum literarum gloriâ longe antecelluit, Parrhasium praestitisse (3). Penitissima enim erat ei Romanarum et Graecarum literarum supellex, eamque veluti scite compositam et belle reconditam servaret, imparatus saepe et ex tempore mira copia et facilitate fundebat. Accedebat magna vis et ubertas orationis, qua proposita eleganter exornabat, et facunde eloquebatur. Neque minimum vel orationibus elegantiae, vel Rhetori laudis addebat suavis illa vox, atque iucunda efferendi venustas, quibus agrestes quoque auditores allicerentur, et gratissime detinerentur (4).

§. XVI. Ex his ergo merito factum est, ut incredibili floreret celebritate auditorum, ludusque eius non eorum modo qui per urbem, sed per Italiam quoque totam insigniores ferebantur, florentissimus fieret. Neque plurima tantum discipulorum vis confluebat ad eum; sed *commodi* rhetores, eximii poëtae, primi nominis in illa urbe grammatici ad eum *frequentes itabant*, *fiebantque ex inclitis praeceptoribus auditores* (5). *Diesque me deficiet*, Vallus addit, *si commemorare singillatim pergam quot e finitimis et longinquis etiam*

---

(1) V. Tirab. *Stor. della Letterat. Ital.* — Corniani, *Secoli della Letterat. Ital.* — Sax. *Hist. Litter. Typogr. Mediol.* — Argelat. *Bibl. Script. Mediol.* etc.

(2) Fur. Vall. ubi supra.

(3) Vid. *Elog. Vir. liter. illustr.* pag. 208. edit. Basil. 1577. — In vita autem Leonis X. quum loqueretur de Romani Gymnasii professoribus ab eodem Pontifice undique accitis: *in humanioribus studiis*, ait, *eruditione*, *stylo*, *et eloquentia Parrhasius Cosentinus erat insignis.*

(4) V. §. I. huius Commentarii, pag. 3, not. (3).

(5) V. Vall. ibi.

regionibus Jani traxerit eruditio, *qui ceteros ante eum Rhetores indignabantur* (1). Aderant quoque praelegenti patricii viri, primoresque civitatis: neque a summa dignitate sua alienum esse duxit audientium sese choro immiscere Joannes Jacobus Trivultius (2). Is equidem maximus aevi sui imperator, atque Christianissimi Gallorum Regis in Italia Armorum Legatus (3), genere et opibus praestantissimus, quamvis sexagenarius, ingeniique difficilis et austeri, mirifice tamen, frequenterque tenebatur doctrina et facundia Jani, summaque cum voluptate excipiebat quae de moribus atque institutis populorum, quae de bello, pace, militarique veterum re singulari venustate et copia disserebat. Neque oblectatione minori Parrhasio aderat Caesar Saccus (4) perpetuus Trivultii comes, quem omni officiorum genere et epico quoque carmine prosequutus est (5). Quamobrem doctus vir, quum rerum omnium verborumque supellectilem, supra fidem quoque in Jano paratam demiratus esset, frequentissimo in auditorio eruditus et elegans poëta hoc in carmen erupit:

Dum legit et Janus concentibus aera complet,
Dulcis et in nostras perstrepit aure sonus.
Quae Veneres homini dictant modulamina vocis ?
Hunc gratum innumerae, non Charis una facit.
Huius in ore sedet triplex Acheloia proles,
Cantus et Astrorum porrigit ipse manum.
Ingenita est illi mira quam vivit et arte
Actio. Concinnum quid magis esse potest ?

---

(1) Vid. Eumd. Vall. ibi.

(2) V. eumd. Vall. ibi — Iov. *Elog.* ubi supra. — Barr. *De situ* etc. lib. II. Cap. VIII. pag. 90. Ed. Romae 1737. — Bayle, *Dictionn. Hist. et Critiq.* T. III. pag. 598. Ed. Amsterd. 1730 — Spera, *De Nobilit. profess.* etc. lib. IV. pag. 451. — Spiriti, *Memor.* ec. pag. 24 e seg. — Zavarr. *Bibl. Calabra*, pag. 64. — Tafuri, *Scritt. del Regno di Nap.* T. IV. pag. 236.

(3) Vid. Ripamont. *Hist. Mediol. Decad. III.* — Rosmini, *Vita del Maresciallo Trivulzio* — *Stor. di Milano*, T. III. Ed. Mil. 1820.

(4) Fur. Vall. ubi supra.

(5) Ad hoc allusit Arsillus, quum in suo carmine de *Poëtis Urbanis*, ita de Sacco cecinit:

Adde quod hanc ditat longissima copia rerum :
Fertile doctrinae quod gerit ingenium !
Cuius iure Scholam celebrat Trivultius Heros ,
Res veterum gestas cuius ex ore bibit.
Divinum hunc hominem tacitus reverenter adora ,
Et dignum docto pone supercilium (1).

Caeteri quoque illustriores poëtae tum Urbani, tum exteri elogiis suis certatim Parrhasium extulere. Lancinus equidem Curtius , Paulo Jovio et Hieronymo Morono testibus , acris ingenii vir (2) hoc pacto Janum adloquebatur :

Quod Janus , quod Parrhasius linguae omnis et artis
Culmen habes , duplex nomen ut omen habes.
Jane bifrons numquam sopito oculatior Argo ,
Harpen Parrhasius Mercuriique tenes (3).

Tum Stephanus Dulcinus blandus et doctus senex haec praeclara de Parrhasio canebat in hendecasillabis de Catulli Sirmione :

Vel qua Parrhasium meum benigne
Ditas , Parrhasium Neapoliten ,
Qui nunc Insubra vivens in Urbe ,
Atque artes studio excitans iacentes ,
Et solus legit et facit Poëtas (4).

Et maiora profecto ea sunt quae de eo peregre cecinit Hieronymus Plegafeta Veicetinus humanioribus in studiis quam eruditus , (5) et multis et maximis confectis poëmatis clarissimus , cuius quidem elegiam lubentius heic utpote ineditam adponimus :

Maxima Romanae deerat cum gloria linguae ,
Ausoniosque apices hauserat ignis edax ;

Sacceus invicti celebrat nunc gesta Triulti ,
Invictasque Aquilas , magnanimumque senem.

V. Tirab. *Stor.* ec. T. VII. P. III. p. 209. e p. 475. Sax. op. laud. col. CXI. CCCLXXXIX. DXCVII etc. — Argelat. Bibl. Script. Mediol. Vol. II. P. II. pag. 1269.

(1) V. Fur. Vall. ibi.

(2) V. Jov. *Elog. Vir. litt. illustr.*, et quotquot superius pag. 37 , not. (3) cum eo citavimus.

(3) Ap. Fur. Vall. op. cit.

(5) V. Angelo Gabr. da S. Maria , *Bibliot. degli Scritt. Vicent.* T. IV. pag. XV. et seq.

Cum furibunda ruens Latiis inimica, cruento
Ense petit nostros barbara terra Lares;
Corripuere sacras facundae Pallados artes;
Sic Latii periit gloria prima, decus.
Tuscus at eximius Phoebi sortitus amores,
Laurea cui Daphne semper amica fuit,
Priscorum tandem luci monumenta reduxit,
Candor ut eloquii pristinus ille foret.
Franciscum hunc sequitur clarissimus ordo virorum,
Qui linguae modulos composuerè rudis.
Sed quod tu Latio, Parrhasi docte, Latino
Eloquio ferres maximus unus opem,
Eminet ingenium foecundum pectoris alti,
Parque illi altisona dictio culta fluit.
Alter ades mundo Arpinas, quem Roma sequatur,
Alter quem studiis Attica terra colat.
Tu iubar et splendor vive, et virtutis imago,
Cui Deus et Fatum contulit omne decus.
Perge salutatum, mea Musa incondita, Vatem
Eximium, roseo fusa rubore genas.

§. XVIII. Studiis propterea suis prosequebantur eum praestantiores viri, primoresque Civitatis. Stephanus quidem Poncherius Parisiensis Episcopus, non benigne modo cum complexus est, verum et familiarem suum perpetuumque convivam fieri voluit (1). Venerat is Mediolanum cum Georgio Ambasio (*Cardinal d' Amboise*) ceterisque Gallorum optimatibus quum, Sfortiis captis, potitus est iterum rerum Christianissimus Rex Ludovicus XII. Amplissimo Magni Cancellarii, ut vocant, munere egregie functus, Senatuique Insubro magna cum laude praefuit: Vir quidem humanus, comis, doctus, quique eo favore literas prosequeretur, ut unus maxime ceteris praestaret. Mensa porro eius velut dipnosophiston videbatur, qua nisi praestantissimi et eruditissimi viri nulli discumberent. Parrhasius autem magni ab eo habebatur, et doctissimus veluti κατ'ἐξοχήν adpellabatur (2): qua-

(1) V. Parrhas. *Orat. in Alex. Minut. ad Senat. Mediol.* inter MSS. Bibl. Reg. Borb. — Furius Vallus quoque ita habet in Panatum; *Amplissimus Stephanus Poncherius, Luteciae Parisiorum Pontifex, sanctissimique Senatus Insubrum Princeps, humanarum divinarumque rerum peritissimus, Jano convictore delectatur.*

(2) V. Fur. Vall. op. cit.

mobrem nepotem suum Franciscum penitioribus literis imbuendum (1502) tradidit (1), ad quem Parrhasii epistola legitur (2). Idque eo lubentius Janus fecit, quod iam vetus ille auditor suus et hospes praestantissimus Cotta, humanitatis studiis iam egregie confectis, ad Leges, quibus tantam sibi deinceps gloriam promeruit (3), fecerat gradum (4).

§. XIX. Tantae autem laudi, tantisque in se studiis Parrhasius ut maxime poterat respondebat. Alacritate enim incredibili publicum munus obibat; neque sedulitate minori eo labore qui cum manebat domi fungebatur. Nam plerique ingenui nobilesque pueri in contubernium eius sese receperant: quamobrem et honestis moribus informandi, et optimis studiis imbuendi erant. Quidquid vero temporis vel supererat, vel colligebatur et servabatur legendo, scribendo, emendando, interpretando totum insumebatur. Codices enim, librique potissimum typis editi, tot tantisque passim scatebant erroribus, ut nulla plerumque, vel adversa staret auctori sententia. Quamobrem haud se temperare poterat Rhetor, quin acerbe in audacissimos typographos inveheretur, qui tanto muneri im-

(1) Franciscum Poncherium hoc anno 1502 operam dedisse, et quidem sedulam, Jano praeceptori adserere non dubitavimus. Aemilius enim Merula, vir profecto bonis artibus ac studiis perpolitus, in epistola, qua ei nuncupat editionem Metamorphoseon Ovidii a se castigatam et Raphaëlis Regii enarrationibus instructam, *adsiduum* ipsum dicit *Jani auditorem*, ac fatetur gaudere se, quod *adolescens ingeniosissimus*, *Poncheriorum gentis spes*, *tanto sit felix praeceptore*. Atqui haec editio *Mediolani* absoluta fuit anno *MDIII. Decimo Kalend. Julias*: igitur quum anno saltem superiore eam inchoatam fuisse omnino dicendum sit, ac tum quoque datam eam epistolam, quae in editione quavis caret anni nota; nullo proinde negotio sententiae nostrae veritas constabit.

(2) V. *De reb. per epist. quaesit. pag.* 42. edit. Neap. 1771.

(3) Quantum Catellianus Cotta bene fuerit meritus tum de literis politioribus, tum de difficillimis asperrimisque ea tempestate legum studiis, probari utique potest praeclara sententia Andreae Alciati, iuris et humanitatis viri prudentissimi, qui Cottae civis sui in excolendis legum et bonarum literarum studiis felicitatem demiratus, *alterum Papinianum* eum dicere non ambegit. V. Marquardi Gudd. *Epist. Clariss. Vir. epist. VII.* — Tirab. *Storia della Letterat. Ital.* T. VII. P. II. pag. 135. — Argelat. *Bibl. script. Mediolan.* T. I. P. II. col. 485. — Aliosque.

(4) Vid. Fur. Vall. *Apolog.* cit.

pares, scriptores veteres passim corrumperent et pessumdarent. Ita sane frequentissima in Schola merito exclamabat Parrhasius: *De Latinis vero quo me vertam nescio, ita mendosi scribuntur et veneunt. Utinam non nostri temporis haec iustior esset querela: certe ego non plus in alienis erroribus confutandis, quam in exponendis antiquorum scriptis insudarem. Sed affirmare iuratus et sancte possum, sic omnes ab impressoribus inversos esse codices, ut si auctores a postliminio mortis in lucem revocentur, eos agnituri non sint* (1). Atque ipse profecto Minutianus, qui ceteris hac de re antecellebat, reiecta plerumque vetustorum codicum fide, audacia et fiducia incredibili, pro libitu vel haec expungebat, vel ista obtrudebat. Quamobrem quamvis Janus illas Minutiani in Ciceronem emendationes pro virili tuitus fuisset quum hospes eius erat, haud vero quum praeclarus locus et ratio studiorum coëgit, inficiari potuit Ciceronem foede corruptum, et ferme perditum a typographo fuisse (2). Neque de Lucio Floro, quem nuper ipse Minutianus impresserat (*Id. Januar.* 1502) aequiori modo loqui potuit. Quanto enim labore, quantisque vigiliis ea sibi emendatio staret vix dici potest. Hoc sane pacto ea de re ad frequentissimos auditores querebatur. *In eo* (*Floro*) *castigando simul emendandoque quantum vigiliarum, quantum laboris exhauserim, testes mihi sunt omnes qui tum nobis operam dabant, quorum nonnullos non tam mea, quae mediocris est, eruditio trahebat ad audiendum, quam quaedam ni fallor expectatio, qua ratione curarem tot vulnera, vel ut verius dicam carnificinam, quam librarius.... in Floro sic exercuerat, ut novae cicatrici locus non esset* (3). Praeter quam quod, quum Minutianus Flori Historias, *Flori Epitomen* nuncupasset, pro munere ostendere longa oratione debuit Janus *Flori Historias* haud eo nomine adpellandas. *Nam lex epitomes est, ab eo, cuius in compendium scripta redigis, in rerum fide non aberrare, quod omnes qui in eo genere versati sunt servaverunt* (4). Neque quis vel invidiae, vel grammaticali irae data multa adserere audebit. Extant enim

(1) Vid. MSS. Lat. R. B. B.
(2) V. Parrhas. *Orat. in Alex. Minut.* inter MSS cit.
(3) V. Parrhas. *Praefat.* in Liv. inter MSS. cit.
(4) V. Parrhas. MSS. IV. F. 2. ibi.

Minutiani Flori exemplaria, quae cum emendatissimis nostris comparata, Parrhasii fidem, et nostram absolvunt. In promtu immo est in Regia Neapolitana Bibliotheca exemplar unum ipsa Parrhasii manu emendatum et notatum; pretiumque operae est tot tantaque restituta emendata refecta deprehendere, ut ipsa re rumor ille minor comperiatur.

§. XX. Verum qua ex parte gratiam laudemque plurimam comparare putaverat, ex ea invidiam perniciemque sibi conflavit; neque saltem rei suae familiari tenuitati, ne dicam inopiae consuluit. Utque a postremis exordiar, ita quidem de iniquitate temporum ad discipulos querebatur. *Nam quid aliud in tanta rerum difficultate facerem, quum publica stipendia non procederent, etsi quae privatim consequor emolumenta, vix emendis olusculis essent satis.... Amabam nuper ardentissime studia, sed ut pauper, et qui duriter in dies agebam vitam, non de Codice tantum, quod ait Juvenalis, sed etiam de calceo parando sollicitus* (1). Haud porro is erat Minutianus, qui tantum famae dispendium, quaestuosamque suam artem deiectam aequo ferre animo poterat. *Et is umquam*, ipse Janus ait, *poterit illum quaestum facere, quem non ex officina, sed laniena librorum quam maximum facit?* (2). Et minoribus sane de caussis Raphaëlem Regium, Joannem Baptistam Pium, et Petrum Leonem Vercellensem Oratoriae quoque professorem, Minutianus exagitaverat (3). Lancinus Curtius ita in utrumque luserat:

Ut vidi, mordax visus est nimis Appulus, atque
Dixi: Asini in tergo est Appula Musca trucis (4).

---

(1) V. Parrhas. in Florum *praelectiones* habitas Mediol. anno 1502, quae inter MSS. Lat. Realis Bibliothecae Borbonicae servantur.

(2) V. Parrhas. *Orat.* cit. in Minut.

(3) V. eiusdem Parrhasii Orat. in *Minut. ad Senat. Mediol.* inter *MSS. cit.* — *Sax. Hist. Litter. Typograph. Mediol.* col. CCCCI. et CCCCIII.

(4) Lancinus Curtius, ut ex loco Saxii modo citato colligitur, diras inimicitias cum Minutiano et Leone exercuit. Quanto autem odio Leo prosequutus fuerit Minutianum, ex acerrimis, quae in illum effudit, epigrammatis evincitur; quorum nonnulla, a Cl. Mazzuchellio data ad Andresium, manu exarata penes nos adservantur.

Et Leo contra ita in Minutianum epigramma retorserat:

Appula Musca dapes, vinum convivia tactu,
Atque thoros foedans, Appula Musca volat.
Non impune tamen prope sunt, prope frigora brumae:
Horrida frigoribus mortua Musca cadet (1).

Minutianus ergo iram omnem, quam pari de caussa in Aemilium fovebat, in Janum convertit et acuit. Verum quum natura vafer esset, et a Parrhasio timeret, occulta fraude eum perdere studuit. Nefandas propterea in eum commentus est calumnias, plurimamque de eo fabulam clam per urbem circumtulit (2). Quae profecto, ut Civium animi ad res advenarum erecti sunt, pronis a plerisque auribus exceptae

(1) V. eumd. Sax. ubi supra — Tetrasticon hocce longum sane absolvit epigramma, quo auctor insectatur Minutianum perpetuo nomine *Appulae Muscae*, quo aperit et claudit quodque totius carminis disticon, postremo excepto.

(2) V. Fur. Vall. op. cit. — Ad haec quoque tempora referendum, et in Minutianum, qui Parrhasium propudiosis calumniis clam dilacerabat, exaratum fuisse videtur sequens Joannis Biffii Sacerdotis Mediolanensis epigramma, quo Jani obtrectatores occultos insectatur.

Pro Jano Parrhasio Neapolitano.
In obtrectatores.

Quisquis es ignota, qui torques tela pharetra,
Quique lates caecis ut fera saeva cavis:
Jam miserum protende caput, nomenque sub auras,
Inque aciem certa coniice tela manu.
Ipse gygantaeo productus sanguine montes
Congeris; ex utero te quoque terra pavit.
Disijciam trimetro non puros carmine versus,
Te trifido feriet fulmine dextra Jovis,
Vitandum ut iaceas cunctis heu triste bidental,
Combustum et renuat iusta cadaver humus.
Quis nisi qui facit tam impure haec farier hausit?
Moribus ista tuis lingua nefanda facit;
Quae, cautum ut fertur sancti de lege Solonis,
Urenda, et rapidis est iacienda Notis.
Tu quoque sumendus succensis, improbe, lignis,
Turpia quae scribis qui quoque facta subis,
Janua virtutum Janus: qui noster Apollo,
Te premet, inque foro Marsya victus eris.

In quam sententiam eo magis firmamur, quo accuratius ista perpendimus:

sunt, lateque per Urbem, auctore dissimulato, percrebuere (7). Novit tandem Janus, vehementisque irae vir modum vix novit, tumentemque bilem notos aeque ac in ignotos effudit: ex quo factum est, ut multam merito in se conflaret invidiam, et multorum qui religiose eum ante colebant, aversum a se animum deprehenderet. Id Minutiano in votis fuerat. Quamobrem ut ex sententia cedere sibi rem perspexit, in apertum bellum prosiluit, palamque in Janum invehi coepit: et modo quidem beneficia ei conlata exprobabat, modo patratae coedis turpisque a Patria fugae accersebat (1). Sibi vero non defuit Janus. Frequenti enim auditorio, ut ea ferebant tempora, multas in eum habuit Orationes, seque a deridiculis commentis egregie et absolute purgavit. Tum ad obiecta beneficia hoc pacto respondit. *Et etiam vanissimus nebulo beneficia nobis exprobrat, quod apud se recepit, quod literarium ludum communicavit. Id ego, quamquam semper prae me tuli, malui enim me debere fateri, quam cuique minus prudenti ingratus videri. — Dic tamen obsecro te, vir bone: idne beneficium tuum vocas, quod bono tibi, mihi damno fuit? O diem semper poenitendum! quid ex illa societate praeter vigilias, praeter labores, praeter invidiam, praeter sugillationem pervenit? Meum fuit illud in te beneficium, si nescis, qui te domi, foris, in re privata, in re publica, in*

Quis nisi qui faciat tam impura haec farier ausit?
Moribus ista tuis lingua nefanda facit.
Tu quoque sumendus succensis, improbe, lignis,
Turpia quae scribis qui quoque facta subis.

quae sane ad nefandas fabulas a Minutiano in Janum excogitatas apertissime alludunt. Verum quod magis nostrae favet opinioni, alia duo habemus eiusdem Biffii epigrammata, quorum alterum in quemdam *Alexandrum*, quem nullo negotio Minutianum intelligere possumus, alterum in *Appulam Muscam*, quo sane nomine, ut dictum est, ipse Minutianus ab aemulis salutabatur. In hoc altero haec notatu digna:

Antiphates solum morsu mandebat ab uno;
Morsu uno plures traiicit iste (Appulus *) viros.*

quae procul dubio Minutianum feriunt, qui probrosis illis fabulis quum unum Janum lacessere studeret, necessario honestam aliorum vivendi rationem infamiae tenebris obscurabat. — Carmina modo prolata a nobis, ex eruditi Mazzuchellii Excerptis exscripta sunt.

(1) V. Parrhas. *Orat. in Minut. ad Senat. Mediol.* inter MSS. cit.

studiis, *in literis iuvi sustinui fovi*, *qui discipulos erudiebam solus*, *et emendandi provinciam sustinebam.... Transeo quotidiana mea in te officia*, *missa facio interiora nostra studia*, *quibus adhuc spiras*, *et auram trahis.... Ego*, *quem tu ingratum vocas*, *piget Hercule meminisse*, *suscepi tuas partes in Aemilium*, *et quidem iniquissimas*, *quantumque in me fuit indefensum non reliqui*, *tuerique conatus sum cum summo capitis mei periculo*, *ut vestrum plerosque*, *Patres Optimi*, *meminisse confido* (1). Quapropter quum eloquentia et gratia se a Parrhasio superari deprehenderet Minutianus, in vim apertam erupit, eiusque ludum ingressus, oratione, pollicitis, precibus Jani discipulos ad se trahere contendit (2). Quod sane aequiori tum animo tulit Parrhasius. Nam non optionem modo omnibus permisit, verum ut eum sequerentur auditores hortatus est; immo iussit ut data opera ad Minutiani ludum accederent, quo nempe certo tandem periculo penitus perspexissent, quam ingenti discrimine facundus Apollo a turpi Marsya distaret. Factum id quidem fuit (1502), illustriusque perspecta et morum integritate, et doctrinae praestantia, a Parrhasio victoria stetit (3).

§. XXI. Cruenta vero, ut ita dicam, ea victoria erat, maximamque Jano molestiam creaverant atroces illae irae, illique mutui furores: neque facile fieri poterat, ut advena et inops tanta in invidia literis pro dignitate vacare securus posset. Quamobrem vertendi soli consilium Parrhasium iniit (1503), praesertim quia plerique Transalpini Galli fama eius moti, magnis conditionibus ad se accersebant. Neque minori sollicitudine ad Urbanam Cathedram advocabat Thomas Phoedrus suus Romanae Academiae lumen. *Ad migrandum me comparabam* (ipsemet Janus ait) *vel in Ulteriorem Galliam*, *quo maximis praemiis invitabar*, *aut in Urbem Romam. Illuc enim Thomas Phoedrus illius Academiae princeps*, *omniumque nostri temporis eloquentissimus*, *me per literas accersebat* (4).

---

(1) V. Parrhas. *Orat.* cit.

(2) V. Parrhas. *Orat.* cit.

(3) Aemilius Merula, in *epist. cit. ad Franc. Poncher.* ante *Ovid. Metamorph.* ita ait: *Assiduus* (Francisce) *Jano Parrhasio operam das*, *qui eloquentiae et eruditionis censu aeternitatem emeritus*, *extraque livoris aleam positus*, *in Insubri gymnasio facile princeps*, *summa audientium frequentia*, *et admiratione publice profitetur.*

(4) Vid. Parrhas. *praefat. in Theb. Stat.* inter MSS. cit.

Haud vero id tulit Stephanus Poncherius Christianissimi Regis Archigrammaticus, neque ceteri Optimates, clarissimique Urbis viri: ipsique Parrhasio abeundi pudor quodammodo factus, quum tanto sui desiderio viros praestantissimos teneri cerneret; neque pauca Poncherii in se extarent merita, vel extitura confideret. Haec enim Parrhasius ipse paullo ante ad discipulos eloquebatur. *Ne scilicet* (Aemuli) *Patres Amplissimi Stephani Poncherii Senatus Principis, ac sacrosancti Regis nostri Archigrammatici fallere iudicium videantur, quippe quum nos, qui summus honos est, suis annumeret, ac, ut est in bonos omnes munificus, meque magnis in dies auctet praemiis:*

Nam patet ingeniis campus, certusque merendi
Stat favor; ornatur propriis industria donis.
Surgite sopitae, quas obruit ambitus, artes:
Nil licet invidiae, Stephanus *dum prospicit Urbi* (1).

Quamobrem per amicos suique studiosos reconciliata est cum Minutiano amicitia, et pax mutuis votis expetita, firmata est (1503). Habuit ea de re ad auditores orationem, qua illud notatu dignum occurrit, ea tum fuisse tempora, ut probro fere et contumeliae tribueretur, si aliquis cum aemulo vel inimico pacem iniret, et pararet et conciliaret concordiam. Janus enim veteribus praesertim exemplis ostendere nititur, id laudi plerumque versum, suamque porro cum illo conciliatam amicitiam fuisse gratia, auctoritate et gravitate plurimorum virorum illustrium. *Fecerunt hoc*, aiebat Janus, *antiqui alii complures.... non solum sine crimine levitatis, sed etiam cum laude simultatis acerbitatem deposuerunt.... Quapropter omnia praeterita maledicta ei, amicorum precibus, condonavi* (2). Quo praeterea diutius et lubentius Mediolani detineretur Parrhasius, de ducenda uxore plerique ei auctores facti sunt. *Quumque praeter Neapolim, nullum usque secessum solo virisque meliorem, quique magis Mediolano arrideret invenisse* fateretur; haud profecto consilium eorum improbavit. Et quia porro summus ille Graecorum Demetrius Calchondyles (3)

(1) V. MSS. cit. — Quoad versus autem, quos Janus in Stephani laudem prompsit, ex illo Claudiani carmine de *Mallii Theodori Consulatu* eos usurpavit, Stiliconis nomine in illud Stephani immutato. V. Claud. *De Mall. Theod. Consul.* v. 282. etc.

(2) V. MSS. cit.

(3) V. Sax. *Hist. Litt. Typog. Mediol.* col. XXXIX. XLIII. CCLXXIX. CCCCXX. etc.

maximo cum amore prosequebatur, et veluti a se progenitum diligebat, filiam eius Theodoram uxorem ducere lubenter induxit in animum. Eam sane, quamvis neque egregiae formae venustate decoram, neque familiari re opumque vi pollentem, neque generis claritate conspicuam, commendabant tamen maxime spectata virginis pudicitia, bonarum artium et studiorum scientia, qua et supra sexum quoque erat erudita, et maxime Demetrius Pater. Quem sane ut arctiori sibi vinculo coniungeret, et praestantius literis suis suppeditaret subsidium, iustis illam nuptiis (1504) sibi copulavit (1). *In qua*, ipsemet ad discipulos loquebatur, *non formam, quae exigua est.... sed ingenuas artes, integritatem vitae, et super omnia Patris eius adfinitatem spectavi.... Adiunxi enim*

(1) Quo quidem tempore Janus Theodoram Calchondylen uxorem duxerit, scilicet utrum anno 1503 desinente, aut 1504 ineunte, id nobis non constat. Eruditus Petrus Mazzuchellius, cuius saepe meminimus, ex carminibus Lancini Curtii haud perperam id arguere videtur. Etenim quum deprehendisset illius poëtae epigrammata ratione temporum quodammodo disposita, et post nonnulla pro electione et funere Pii III. Pontificis Max. et alia pro electione Julii II. (quae omnia anno 1503 fere desinente evenere) illud proxime sequi, quod pro Jani et Theodorae nuptiis editum fuerat; facile ex hoc induxit in animum suum, eas nuptias anno 1504 ineunte celebratas fuisse. Quod speciem veritatis et certitudinis quum maximam praeseferat, nullo proinde negotio et nos complectimur. Quoad vero illud Curtii epigramma, illud sic se habet:

In nuptiis Jani Parrhasii et Theodorae Calchondylae.

Doctissimo de patre, matre formosa
Dum pulchriorem filiam, probam, doctam
Doctissimus vir coniugem accipit Janus;
An praepetibus avibus quid aestimem maius
Posse evenire, quam ut avis, patri, aut matri
Prolem similem? et o Dii date hanc, his longam
Vitam; quietum candida torum mente
Ambo facite vos iam, Dii precati sunt.

Vid. Lanc. Curt. *Epigr.* lib. XVI. fol. 80. ed. Mediol. 1521.
Vid. quoque Pier. Valerian. *De infelicit. Litterat.* lib. II. pag. 58. — Paull. Jov. *Elog. Vir. litt. illustr.* pag. 208, edit. Basil. 1577. — Spera, *De Nobilit. profess.* etc. lib. IV. pag. 451. — Barr. *De Situ et Antiq. Calabr.* lib. II. Cap. VII. pag. 86. — Bayle, *Diction.* etc. T. III. pag. 598, et seq. ed. Amsterd. 1730.

mihi virum doctissimum, cuius adsiduo convictu quantum studiis nostris accedet, in dies experiemini (1). Resque porro ex voto cessit. Ea enim societate factum est, ut socer et gener mutui suffragatores, in scholis utriusque linguae imperium tenerent (2).

§. XXII. Quod sane tum maxime sibi adserere visus est, quum confectis iam perpetuis Commentariis in *Valerium Flaccum*, *Papinium*, *Tibullum*, *Ovidium* aliosque (3), et *Floro* integritati suae restituto, Romanae parentem Historiae *Livium* exornare adgressus est; opus literatis viris maxima adhuc ex parte intactum, vel impotenti periculo tentatum. Arduum enim erat et difficile inceptum, quum exemplaria excusa mirum in modum corrupta per manus versarentur (4). Neque porro veteribus codicibus emendandis pares omnino fieri poterant, nisi qui penitissime historias callerent, veterisque Geographiae ita essent periti, ut omnes fere pagos, rivos, colles Orbis antiqui, ut aedes suas noscerent. Quod sane eo difficilius adsequi posse videbatur, quum geographica studia adhuc veluti in incunabulis versarentur, iique etiam, qui maxime in huiusmodi scientia probarentur, vix vulgariter comperirentur eruditi (5). Unus autem Janus suscipiendo feren-

---

(1) Vid. Parrhas. *Orat. ad discip.* inter MSS. Lat. R. B. B.
(2) Vid. Jov. ubi supra — Barr. ibi — Spera, ibi.
(3) Vid. Fur. Vall. *Apolog.* cit. — MSS. cit. etc.
(4) Parrhasius ipsemet hac de re ita testatur: *Sed Affirmare iuratus et sancte possum, sic omnes ab impressoribus inversos esse codices, ut si auctores a postliminio mortis in lucem revocentur, eos agnituri non sint. In quo non recuso quin mentiri iudicer, nisi Livii decades istud apertissime probabunt. Ac ut id facilius omnes intelligant, ab ipsis argumentis incipiam.* Vid. MSS. cit. — Neque autem dissilimilibus utitur verbis in epistola nuncupatoria ad Iafredum Carolum, ante Comment. in *Rapt. Proserp. Claud.* ait enim: *Ego vir integerrime, triennio iam Livii bellum Macedonicum frequenti professus auditorio, singulis lectionibus emendari, quod ante nos (absit verbo invidia) nemo tentavit: ostendique certissimis argumentis ab ea, quam dixi, decada, depravatum locis amplius mille.... Sex in toto Livio vulnerum fere millibus a me curatis, aut splenio contectis.*
(5) V. Tirab. *Storia della Letter. Ital.* T. VI. P. II. pag. 117. etc. T. VII. P. II. pag. 176. ed. Roma 1784.

doque oneri par atque idoneus erat. Adeo enim diligentem, improbam adsiduam studiis geographicis operam dederat, adeo laboriose et exquisite omnes quotquot extabant sive Graecos, sive Latinos auctores perlegerat, animoque imbiberat, vel minima quaeque rimatus anxie excerpserat, sciteque adnotaverat, ut qui non praestare ei modo, veram cum eo conferri iure possit inveniam profecto eo in tempore neminem. Extant adhuc pleraque et ingentia volumina manu sua exarata (1), quibus ex auctoribus excerpta adnotantur, vel Alphabetico ordine disponuntur, ita sane copiose, ut Geographiae veteris tabulas augeri quodammodo et exornari, nisi vehementer fallor, Parrhasianis indicibus posse confiderem. Itaque magno animo opus a se iamdiu adgressum (1501, fine) confecit (1504), fidemque, ut par erat, absolvit (2). Etenim integritati suae plusquam sex mille in locis Livium restituit, unoque in bello Macedonico vel codicum vel typographorum erratis plusquam mille emendatis, perpetuis illud et uberrimis illustravit Commentariis (3). Haud vero velim ita a lectoribus emendationes istas suscipi, ut ceterae excipiuntur vulgarium grammaticorum. Quamvis enim nos lateat quodnam earum in Livium fatum fuerit, vel ex iis in bellum illud plurimarum; eas tamen quas ex Jani commentariis in duos fere belli libros sedulo collegi, eas omnino esse comperi, quae frustra ullis eius temporis, vel Minutianis quaesitae exemplaribus, in emendatissimis tantum Livii libris, qui nostra fere aetate excusi sunt, reperiantur. Quamobrem vel Parrhasianas emendationes ore scriptove susceptas summos sequiorum temporum philologos, veluti illustrissimas probasse, vel quae longissimo studio ab his, maximaque in

---

(1) V. MSS. Reg. Bibl. Borb.

(2) Ex Jani *epist. ad Iafred. Carol.* praep. edit. Commentariorum in *Rapt. Prosep. Claud.* anni 1505, deprehendimus, Parrhasium ipsum *triennio bellum Livii Macedonicum frequenti fuisse professum auditorio, totoque in Livio vulnerum curasse fere sex millia.* Data est haec epistola *Mediol. prid. Idus Decembris* anni quidem 1504, quum editio absoluta fuerit *die XXVIII Augusti, 1505.* Jure igitur meritoque annos illos superiori loco Commentarii adposuimus, quippe ab anni 1501 fine ad illum 1504 triennium habetur completum.

(3) V. Parrhas. *epist.* cit. ad *Iafred. Carol.*

luce literarum repertae sunt, mire eas cum Parrhasianis congruere dicendum est. Quorum si alterutrum probabitur, magna profecto laus Rhetori accedet, nisi quis sit imperitissimus, qui haec ut puerilia damnet.

§. XXIII. Neque istis tantum operibus incubuerat Parrhasius. Etenim libellum P. Victoris *De regionibus urbis* primus omnium (1503) imprimi curaverat (1), et quidem sub auspiciis benemerentissimi patroni sui Stephani Poncherii, ad quem epigramma quoque dedit, operique praefixit; de quo Petrus Marenus Aleander, qui illud recusit (ann. 1505), loquens : *Hoc P. Victoris evigilatissimum opus*, ait, *quadam editione primaria Janus Parrhasius literis Latinis et Graecis doctissimus, et ad interpretanda sensa Vatum oculatissimus, in studiosorum usum emisit* (2). Neque multo post ex vetustissimo prorsus eiusdem Poncherii codice a postliminio mortis multa veterum Grammaticorum opera revocavit, typisque edita (anno 1504, die II. Decembris.), generosissimo puero *M. Antonio Cusano*, *Hieronymi* Senatoris primarii et viri praestantissimi filio nuncupavit, qui sexennis tam praecox et docile ingenium prae se ferebat, quod nemo ullus fere aequalium suorum sortitus fuerat (3). *Ea autem opera sexcentis et am-*

(1) Cl. vir Caietanus Marinius, in opere perdoctissimo cui titulum fecit, *Atti e Monumenti de' Fratelli Arvali*, *P. II. Osserv. sopra la Tav. XLI. a.* pag. 619. not. (174), tradit vidisse se in Bibliotheca Albana unum exemplar huiusce editionis P. Victoris a Parrhasio curatae, quae praeter epigramma eiusdem Jani ad Stephanum Poncherium, et alterum quoque habebat ad calcem, quo sane fuerat a Hyacintho Arpinate exornata. Fatetur quoque vir eruditissimus, putare se P. Victorem a Parrhasio editum anno 1503, vel 1504. Quum ex Historicis Mediolanensibus constet, Stephanum Poncherium, cui editio nuncupata fuerat, Parisiorum Antistitem anno 1503 renunciatum, ac tum quoque Iafredum Carolum Insubri Senatus Praesidem pro eo constitutum; haud iniuria eam editionem hoc ipso anno, haud vero sequenti, confectam fuisse arbitramur.

(2) P. Victoris libellus editus fuit ab Aleandro una cum Opusculo Bedae, quod titulum gerit, *De Temporibus*, *sive de sex aetatibus huius saeculi :* istud vero *Patavii Id. Martiis*, *1505*, ille *Venetiis*, *die XXVIII. Mai*, eiusdem anni.

(3) Vid. Parrhas. *Epist. ad M. Ant. Cusanum*, praep. edit.

plius abhinc annis in altissimo pulvere iacuerunt incognita, donec a situ Georgius primum Merula vindicavit in usum tantum suum. Mox eo defuncto, Parrhasius addit, *unicum quod extabat exemplar emtum est auxilio Patris Amplissimi Stephani Poncherii Luteciae Parisiorum Pontificis, indulgentis-*

Grammatic. videlicet Probi, Maximi Victorini, Donati, Servii, Sergii, Attilii Fortunatiani, Donatiani, Caesii Bassi, Terentiani et Bedae. — Plurimi sunt profecto viri eruditi, qui huius Parrhasianae editionis veterum grammaticorum mentionem fecerunt in operibus suis. De ea enim loquitur Aldus Manutius in lib. IV. *Instit. Grammat.* De ea Angelus Spera (*De Nobil. profess.* etc. lib. IV. pag. 451.) Bayllius (*Diction. Hist. et Crit.* pag. 599. not. (D).); aliique. Barrius quoque de ea agit, quamvis confuse, quum (Cap. VIII. lib. II. *De Sit. et Antiq. Calabr.*) ita scripsit: (Parrhasius) *et fragmenta quaedam edidit fortasse linguae Latinae, aut artis grammaticae, cuius rei meminit Aldus Manutius. — Sed Aldus* (ad rem Sertorius Quattrimanus in suis *animadvers. ad Barr.* loc. cit. pag. 99, not. (A).) *non intelligit de fragmentis grammaticae a Jano Parrhasio confectis, sed de Charisii aliorumque grammaticorum fragmentis, Jani opera et diligentia in lucem prolatis, et excusis.* Quattrimanus tamen in hoc unum fallitur, quod Charisium a Jano quidem primum repertum, ab ipso quoque editum ponat, quum contra omnibus fere constet principem eiusdem grammatici editionem curatam fuisse Neapoli anno 1532, a Jo. Pieriio Cyminio Nostri cive et auditore. Ex quo patet quoque quantum abeat a veritate Cl. Mennoius, qui suis in Bailletum animadversionibus (Vid. *Jugemens des Savans*, T. II. pag. 142. *N. B.*) Quattrimani sententiam amplectitur. — Quoad vero huiusce erroris caussam, eam nullo negotio hisce in verbis Aldi agnoscimus; scilicet: *Apud Attilium Fortunatianum, et in fragmentis illis antiquis sine authoris nomine, quae Janus Parrhasius, homo utriusque linguae doctissimus, cum Mediolani publice bonas literas profiteretur, edidit.* (Vid. *Grammat. instit.* lib. cit.). Et re sane vera, in editione, de qua sermo est, post Attilii Fortunatiani opusculum de *Metris Horatianis*, breve sequitur fragmentum (quod Donatiano tribuitur a Valentino Catone) deinceps et aliud longius, utrumque, ut Aldus ait, *sine auctoris nomine.* Quod si a Barrio, Quattrimano aliisque inspectum fuisset, vel ipsi saltem Cyminii perlegissent epistolam ad Coriolanum Martyranum, in qua eorundem grammaticorum editio memoratur, numquam de ea tam confuse verba fecissent, vel essent in errorem delapsi.

simique patroni mei..., Quare nos iisdem, quibus antea Merula vestigiis ad interceptae praedae cubile deducti, libros aetate iam putres excripsimus, incredibile quanto labore, propter obsoletas veterum literarum notas, et iam temporum iniuria vanescentium (1). Sedulam praeterea operam Claudiano quoque suo praestabat, laborumque suorum primitias ita exornare, emendare, augere prosequebatur, ut tantis curis expolitas typis edere instituisset (1504). Neque minori labore innumera per epistolam quaesita ad se ab eruditis viris missa solvit, vel ad illos tradidit interpretanda, ut nullum eum umquam laborem fugisse putares; quae sane tantum in numerum excreverant, ut multos in libros dispescere cogeretur (2). Iis autem haud proletaria et vulgaria, sed penitiores bonarum literarum veluti recessus est prosequutus. Cyminius sane auditor eius, quique et ista studia apprime callebat, eosque libros perlegerat: *ibi*, ait, *diversorum auctorum loca pene infinita, Platonisque, ut aiunt, numeris obscuriora, animata, divinaque illa dicendi ubertate explicabantur* (3). Atque maiora quoque fortasse excepissemus, ni litterarium, quod cum Pio Bononiensi per quinque fere annos intercessit, commercium intercidisset. Duae modo tantum ineditae extant Parrhasii epistolae, et pauca quaedam sive

---

(1) V. Parrhas. *epist.* cit. ad *M. Ant. Cusanum.*

(2) Praeclarum hocce Jani opus, quod *De rebus per epistolam quaesitis* titulum gerebat, ad *editionem*, Cyminii verba sunt, *iampridem paratum, librisque quinque et viginti circiter constans, maximo literarum incommodo intercidit.* Quae nunc habentur ex eo epistolae, vix unum iustae molis volumen absolvunt; quae tamen tot tantisque elogiis ab eruditis exornatae fuere, ut supra fidem videretur, nisi id nullo negotio evinci posset. Quamobrem vide, Henric. Steph. *epist. ad Ludov. Castelvetr.* praep. edit. *De rebus per epist.* etc. anni 1540. — Sert. Quattrom. ap. Nicod. (V. *Addiz. alla Bibl. Nap.* del Toppi, pag. 87.) — Spiriti, *Memor. degli Scritt. Cosent.* pag. 28. — Bayle, op. et loc. cit. — Barr. ubi supra. — Marafioti, *Croniche ed antichità di Calabria*, pag. 264. ed. Pad. 1601. — Tafuri, *Ist. degli Scritt. del Regno di Nap.* T. IV. pag. 236, e seg. — Tirab. *Stor.* ec. T. VII. P. III. pag. 336. — Ginguenè, *Istoire de la Litt. Ital.* Vol. VII. pag. 214. ed. *Paris.* 1811.

(3) Vid. *Epist. ad Coriol. Martyr.* ante *Charis.* ed. Neap. 1532.

mavis lineamenta et vestigia quaedam literarum (1). Verum ex his, veluti ex ungue leo, quanta disquisiissent, et quae ceterarum fuerit iactura deprehenditur. Gratiores certe legentibus futurae erant, quum familiaritatis et officii essent plenissimae, iisque modo se Rhetores arguerent, modo mutuo sibi indulgerent, modo leviter quoque irascerentur. Neque praetereundum est, nonnullas quoque haud de suo munere orationes publice habuisse, Amplissimi quidem Cardinalis Rhotomagensis iussu, ad totius Mediolanensis Athenaei Collegas de fide et sedulitate, qua quisque munere suo fungi par erat, anniversaria fortasse oratione, coram ipso Georgio Cardinale Ambasio disseruit (2). Et huiusmodi quidem exordio eos est adlocutus: *Non auderem profecto, Collegae carissimi, tam singulari prudentia praeditos et in hac iudiciorum luce diu versatos officii sui commonefacere.... nisi personae, quam sustinemus ratio nos impelleret, atque quodammodo cogere videretur.* Tum subdit: *decet porro ut illustres pueros, quos nostrae fidei potestatique maximus omnis aevi Rex, illustrisque Dominus Cardinalis commisit et credidit, diligamus, et omni ratione tueamur.* In nuptiis quoque Procerum Mediolanensium duas habuit Orationes epithalamicas (3). In quarum altera illud praecipuum occurrit, quod in laudes Trivultii sit plurimus. *Et nunc*, ait, *apud omnis aevi maximum Ducem, si Virtutem non imperium consideremus, Ioannem-Iacobum Trivultium Sacrosancti potentissimique nostri Regis armorum Legatum ducit* (Sponsus) *ordinem. Dii boni! quantus honor est eius iudicio probari, quem Mortalium consensus rei militaris usu Philopaemeni, iusticia Aristidi, liberalitate Cimoni, literarum studio Caesari non iniuria praeponit.*

§. XXIV. Tertius interea vertebatur annus (1504), ex quo bellum Livii Macedonicum singulis lectionibus, frequentique

---

(1) Haec omnia adpendicis loco huic Commentario adstruebimus.

(2) V. *MSS. Lat.* Real. Bibl. Borb.

(3) V. *MSS.* cit. — Praeter Orationes Epithalamicas a patruo nostro memoratas, alterius quoque meminit eruditissimus Montfauconius, utpote a Iano elucubratae, quae inter MSS. Lat. Bibl. Ambros. Mediol. ab eo recensetur. V. *Biblioth. Bibliothec.* T. I. pag. 517.

auditorio emendare et interpretari Parrhasius susceperat, quum eum inter et Minutianum feпромociores quam umquam irae, et maiores concertationes exarsere. Titi Livii historias, et se quidem iudice, restitutas et emendatas decimo abhinc anno (1) Minutianus ediderat; verum quum exemplaria tum sua, tum aliorum typographorum innumeris pudentisque erroribus scatere quotidie a Parrhasio ostenderetur; emendatiora tandem illa typis suis recudere in animum instituit. Impar autem ipse erat tanto onori; et nata et alta domi, immo bella et parata omnia ad votum erant. Quo ergo vafer Appulus uno veluti ictu gloriam sibi maximam otiosus quaereret et feriatus, aemuloque Parrhasio praeclaram laudem praeriperet, codicem eius Livianum tantis vigiliis emendatum, fure immisso, rapere molitus est. Et re quidem vera, impuro Sacerdote Jani discipulo corrupto, malum consilium ex sententia confecit (2). Quamobrem nulla mora interiecta, emendatum a Par-

---

(1) T. Liv. op. excusa fuere *Mediol. die XXV. Maii anni salutis 1495 ab Ulderico Scinzenzeler, impensis Alexandri Minutiani ex quam amendato exemplari*, etc. V. Sax. *Hist. Litt. Typ. Mediol.* T. I. pag. DXCVIII. not. (K). — Fabrit. *Bibl. Lat.* T. I. pag. 281.

(2) V. Parrhas. epist. ad Pinum in Adp — Theophilus Calchondyles Jani levir et auditor, in epistola nuncupatoria *ad Ornatiss. adolescentem Stephanum*, praeposita editioni Valerii Maximi anni 1506, ut Petrus Mazzuchellius haud iniuria tenet, ut ea quae in lucem prodiit post Livianam Minutiani editionem, eiusdem furtum impudentissimum apertissime taxat; ait enim: *Habebis interea* (Stephane) *Parrhasii tui non minus accurate emenduta, quam luculenter exposita quaedam Valerii loca... additis in corollarium, si qua caeteri quoque nostri temporis grammatici professores eius generis emiserunt, quae suis quaeque nominibus et auctoritatibus reddidimus, ne quemquam sua laude fraudemus; idemque nobis eveniat, quod nuper impressori cuidam Minutiano, qui quum bonam partem Livianarum castigationum, quas triennium iam Parrhasius, ut scis, ex bello Macedonico frequenti promulgavit auditorio, pro suis edidisset, non minorem cachinnum in se excitarit, quam vel Aesopi, vel Horatii cornicula furtivis nudata coloribus.*

Furius Vallus tandem in Jani Apologia istud idem exprobat Panato Minutiani discipulo, his verbis: *Impudentior autem praeceptor ille tuus, impressorum postremus, qui Jani castigationes in bellum Livii Macedonicum grandi pretio redemptas ab avarissimo quodam sacerdote (palam res est) intervertit, emendatumque*

rhasio codicem typis suis vulgavit (1505.) (1) ; neque erubuit restitutum a se Livium praedicare , ipsique Iafredo Carolo Senatus Insubriae post Poncherium Principe, data epistola nuncupare : eodem fere modo quo principem Taciti editionem , quam Leo X. Romae curabat , sibi deinceps curavit (2). Eo autem turpi facinore perspecto , quid moeroris, quid irarum conciperet Janus, difficile dictu est. Ad Pium quidem scribens : *Arborem* , ait , *suspendio eligendam* , *si postremus impressorum non erubescit alienos labores pro suis edere* (3). Et maiora questus est tum alibi, tum epistola ad Iafredum Carolum, qua Claudiani sui Commentaria secundis curis recusa (1505) nuncupabat (4). Quamobrem per infinita auditorum testimonia et elogia , per discipulos , per amicos impudens senis furtum palam omnibus a Parrhasio factum est , excussoque a rapacibus unguibus codice , nomine suo Livianae emendationes typis excudi coeptae sunt (5). Quae profecto aequi bonique omnes consulent , qui noverint quanto labore , quave adsidua cura vel una interdum iis Grammaticis emendatio steterit ; utque ex istis reculis tota viri laus, tota fortuna , totum fatum penderet. Ea autem contumelia neque modum , neque pudorem Minutiano imposuit ; iram immo eius ingeniumque vaferrimum acuit , quo invisum hominem prosternere, atque omnino perdere festinaret. *Numquam enim ex animo amicitiam cum eo conciliarat* ; *verum eo tantum consilio fecerat* , *ut securiorem inter oscitantes opprimeret. Ita-*

Jani labore Livium suo titulo publicavit , *antequam laniena prioris eius editionis editione Jani proderetur. Sed actutum sentiet quantum hac arte profecerit.*

(1) Legitur apud Fabricium : *Est et Mediolanensis* (editio Livii) *anni 1505* , *fol. quae passim notata manu Jani Parrhasii extat Neapoli in Bibliothec i Nobilissimi viri Jo. Vallettae.* V. Bibl. Lat. T. I. pag. 281. ed. Lips. 1773. Quae editio ea quidem est , quam Minutianus Parrhasii manu expurgatam atque restitutam , pro sua emisit atque venditavit.

(2) V. Sax. op. laud. pag. CIX. — Tirab. *Stor.* ec. T. VII. P. I. pag. 162.

(3) Vid. epist. cit. in Adp.

(4) V. Parrhas. *Epist. ad Iafred. Carol.* praepos. edit. Cl. Claud. *De Rapt. Proserp.* , *Mediol. 1505.*

(5) V. Parrhas. *epist.* ad Pium , in Adpend. — *Epist.* cit. *ad Iafred. Carol.*

que per inducias notis et ignotis infames in Janum litteras scribebat, criminibusque turpiter excogitatis, per omnes angulos nefarie traducebat. Cuius rei ipsas Furius Vallus *testabatur epistolas improbarum eius molitionum conscias et custodes* (1). Expertus quidem fuerat Appulus tum a pristina laude, Parrhasii adventu, deiectum, tum magnos illos ex arte sua quaestus amissos magna ex parte fuisse. Neque porro tantam laudis quaestusque iacturam Jano incolumi reparare se umquam posse cernebat. Quo autem celerius consilium perficeret, tristem senem haud puduit veteres illos teterrimosque aemulos suos Aemilium Ferrarium, et Damianum Nautam arctissimo sibi vinculo conciliare, et collatis viribus in facinus conspirare. *Neque erubuit homo*, Vallus ait, *cum iis in Janum conspirare, adversus quos certo capitis periculo se, nomen, doctrinam, ceteraque omnia sua tutatus fuerat Parrhasius* (2). Accesserunt societati obscurissimi quidam eorum discipuli, et nescio quis praesertim Rolandinus Panatus Laudensis (3). Ii ergo veteres novasque calumnias, fabulasque retexentes, Parrhasii nomen, quo potuere acerbius, proscidere (4).

---

(1) V. Fur. Vall. in *Apolog.* Parrhasii.

(2) V. Fur. Vall. ibi.

(3) Rolandini Panati *Invectivas* et Nautae epigrammata in Janum Parrhasium, manu exaratas penes nos adservamus; et tum illarum cum istorum debitores sumus eidem erudito Petro Mazzuchellio (cui hac de re epistolas Mediolanum dederat Clarissimus Andresius), qui ex unico quod in Ambrosiana illarum extat exemplari, easdem exscribendas curavit.

(4) Quomodo docti viri Mediolanenses, vel Mediolani vitam degentes Panati invectivas, et Nautae carmina in Parrhasium exceperint, omnes nullo negotio lectores colligent ex his, quae heic exscribimus epigrammatis, quibus impudentes, ac futiles utriusque lucubrationes refellere auctores satagerunt. Etenim P. Tantius Corniger in utrumque hoc pepigit data opera disticon.

Remi Nauta geras, curam Panaris mactrae.
Jani docta legat lingua diserta mei.

Item et aliud, quod sic habetur:

Dum docto indocti tentant maledicere, dicunt
Tam male, quod nemo tam male dicta legat.

Immo veluti Parrhasianae laudis fundamentum Commentariis in Claudianum totum consisteret, ea non despicere et contemnere, verum insectari et exagitare coeperunt. Et quo eiusdem rei praestantius exhiberent monumentum, iniunctum Panato est munus, ut data opera, censoria virgula notaret, reprachenderet, distringeret omnia. At egre votis a Panato responsum est. Ut enim tantum iuvenem decebat, quatuor illas, quas conscripserat pagellas, si paucula notata in Commentariis verba excipies, contumeliis, iurgiis, propudiosis et ineptis totas, ut par erat, illevit, praeclaramque censuram in vulgus emisit (1). Defecerat complementum operi, nonnullaeque aliae paginae, quo aliquam voluminis speciem opus prae se ferret. Praesto fuit praeceptor eius Nauta; collectis novis et veteribus omnibus epigrammatis in Janum acerbissimo stilo conscriptis, typis quoque edidit, adiunxitque censurae (2). Qua insolentia perspecta, a dignitate sua non duxit Janus vel ab imperitissimo iuvene notata tueri, vel obiecta diluere (3). Fuit vero qui partes eius ita susciperet, ut ne

---

Antonius Pelotus autem Panati invectivas hoc carmine lacessere studuit:

Ad turbam salariorum.

Plena quidem mendis, varioque errore papyrus
Laudensis venit plurima panificis.
Liberiore manu iam salsamenta tegantur:
Constabit minimo charta tibi precio.

mitto cetera, quae a Vallo in Jani Apologia referuntur.

(1) Quamvis Rolandini Panati *Invectivae*, et Nautae carmina in Parrhasium, nullam prae se ferant nec loci, nec temporis notam, nec typographi nomen prodant, coniiciendum tamen est, ut eruditus Mazzuchellius autumat, omnia praelo fuisse Mediolani dimissa anno salutis 1504. Huic opinioni plurimum quoque auctoritatis accedit ex editione Apologiae Jani Parrhasii a Furio Vallo exaratae, quae in lucem prodita est anno 1505. Ex hac autem colligimus obtrectatores nihil in Janum profecisse; Panati in grammatica, et orthographia peccata; turpem foedissimamque cum Panati, tum Nautae vitae rationem; et huius denique epigrammata eadem esse, quae prius in Minutianum fuderat, parum retorta in Parrhasium.

(2) V. Fur. Vall. op. cit.

(3) *Itaque Janus ad amicos retulit* (ita Vallus), *interque suadentium dissuadentiumque sententias, e paratissimo memoriae penu*

ab ipso quoque vel meliora, vel vehementiora expectari poterant. Furius enim Vallus discipulus et familiaris eius, qui et vitam pro praeceptore libenter fundere paratus videbatur, eo ardore, ea, vi, ea verborum copia et petulantia in eum, sociosque aemulos invectus est, ut penitus vexaverit, obruerit, perdiderit (1). Neque unus Vallus erat qui Jani caussam tueretur. Multos ipse Vallus enumerat; neque parum erat et Pium Bononiensem suum veluti nomen quoque dedisse. Ita sane ad eum scribebat Parrhasius: *Quod autem me tanti facias, ut non solum cogitatione, sed etiam convitio verteres eos, qui in nos se praebent iniquos, agnosco humanitatem et benevolentiam erga me tuam* (2). Atque ita porro Bladarius Vincentinus ad Parrhasium canebat:

Exiguos elaphas culices, spernuntque volucres
Imbelles Aquilae, vulnera parva leo.
Sic Janum illaesum feriunt mala scommata vulgi:
Non timeat Phoebum sic pedagogus iners (3).

Inter eosdem Jani defensores habendus est et alter poëta, qui in eius obtrectatores ita cecinit:

Non Aquilis formica nocet, non musca: leonis
Contemnit timidas nobilis ira feras.

Q. Metelli Numidici verba prompsit in Gn. Mallium Tribunum plebis, a quo apud populum in concione lacessitus iactatusque dictis petulantibus: Nunc quod ad illum attinet, Quirites (inquit), quoniam se ampliorem putat esse si se mihi inimicum dictaverit, quem ego mihi neque amicum recipio, nec inimicum respicio; in eum ego non sum plura dicturus. Nam eum indignissimum arbitror, cui a viris bonis benedicatur, tum ne idoneum quidem, cui a probris maledicatur. Nam si in eo tempore hunc homunculum nomines, in quo punire non possis, maiori honore, quam contumelia afficias. — Haec oris habitu consentaneo Janus ubi dixit, ad astantes audistis (ait) exemplum quod in eadem pene causa Metellus nobis reliquit? Utamur ergo gravissimi viri gratuito consilio, nec oratione cum inquinatissimis decertemus; ne dum paria regerimus, eorum similes efficiamur.

(1) Fur. Vall. op. cit.
(2) V. Parrhas. Ep. ad Pium, in Adpend.
(3) Vid. Andres, *Anecd. Graec. et Lat.* pag. CLXXX. edit. cit.

Irrident Nani sublimes tela gigantes,
Nec culicis morsus bellua vasta timet.
Murmura nec vulgi curat mens conscia recti;
Respuat indignos Parrhasis ursa canes (1).

Et re quidem vera nec hilum quidem aemuli in Janum proficiebant; gravius immo in dies gratia, auctoritate et vehementia Jani praemebantur. Ipse sane ad Pium: *Risi*, ait, *de*

---

(1) V. Andres, ibi.

Inter caeteros eruditos Mediolanenses, qui Parrhasii causam favore suo prosequebantur, iure habendus est Joannes ille Biffius, cuius supra §. XX. not. (2) pag. 58. duo retulimus epigrammata. Hic enim aegre ferens propudiosis illis calumniis Jani nomen pessumdari, quarum patruus noster in comment. §. cit. iam meminit, amici obtrectatores impudentes acerrime suis carminibus insectatus est. Quo vero Parrhasium ad inimicitias aequo animo ferendas induceret, hoc dedit carmen, quod hic exscribere lubet, perinde ut in Cl. Mazzuchellii, Excerptis habetur.

Indue Socraticum pectus, mi Jane, parumper,
Nec tibi Xantippe dogmata tanta ferat.
Obtrectatores iam viles credito asellos,
Horum nec calces, clare Poëta, time.
Et stomaco inducas, vir prudentissime, callum,
Atque vafer facias verba canina pilum.
Non Aquilae pullum, sed pullum vilis aselli — *Ex Diog.*
Praeceptor docto pectore saepe facit. — *Arist.*
Quomodo te laedunt, sanctum vocitare parentem — *Plat.*
Debuerant: meritis gratia nulla manet.
Tergiversator, vel versipellis ubique — *Iuve.*
In medio iactat verba canina foro.
Tu veluti Parthus constanti, et mente silenti
Hos fugiens, melius dilacerare potes.
Non potes obscoenos tutus corrodere mores:
Si naptam tanges, te quoque napta premet.
Omnibus haud ventis totas patuisse fenestras — *Plin.*
Fas fuerit: lenem si legis historicum, — *Suet.*
Non elephas timeat culicem catulumve molossus,
Graiaque Tersiten agmina non fugiant.
Ut feriunt summos Jovialia fulmina montes,
Invidia in doctos sic quoque tela quatit.
At tamen assiduo latratu gloria maior
Emicat, auriferis anteferenda vadis.

Julio et Musca Appula, *perque gratum fuit audire quid de utroque sentires. Aestas*, *et anni suum tempus excitavit Appulam Muscam*: *sed ut spero*, *non agam Aesopi Calvum*, *nec expectabo hyemis adventum*: *paucis ictibus conteram* (1). Verum quum dirae societati accessisset ipse Iafredus Carolus ea in Urbe potentissimus, tum ruere in praeceps coeperunt Jani res. Is enim vehementer Parrhasium oderat, tum quod aliquot ante annis (1501) Michaëlem Riccium nostrum, suum tum in munere aemulum, sibique maximopere invisum, data epistola, Sedulioque dicato commendasset; tum quod suum veluti in contemtum Riccium apud Pontificem Regis Legatum colere et observare prosequeretur (2). Tum accedebat, obstinato Parrhasium animo, quosdam Allobroges cives eius contubernio suo excipere recusasse, quamvis preces et obtestationes accessissent (3). Quapropter extollere, fovere, complecti Minutianum coepit; neque porro quum Commentaria in Claudianum ei obtulisset Parrhasius (4), opemque suam in typographum implorasset, vel excepit lubenter, vel in furem, de munere, animadvertit. Immo quum continuo in aures eius obstreperet Minutianus, Janum nempe suis per epistolam quaesitis acerbe eum exagitasse, suaque tempora summa licentia damnasse, quum de Jano necando consilium coeptum esset, impunitas facinori a Carolo pollicita est (5).

§. XXV. Immisso igitur percussore, quum forte ex Senatoris coena domum se reciperet Parrhasius, gravis ei in caput impactus est lapis; eoque ictu si plane quidem haud concidit, diu vero ex alto vulnere vitae dubius laboravit (6).

---

(1) Vid. Adp.

(2) V. Parrhas. *Orat. ad Vicent.* fortasse, inter MSS. Lat. Reg. Bibl. Borb.

(3) *Illud autem nullo pacto ferre potuit*, *me sui causa nullo pacto quorundam Mediolanensium liberos a nostris aedibus exturbare voluisse*, *quo vacuus apud me locus contubernio Allobrogibus esset suis. Ex illo Minutianum quemdam*, *nostrae professionis aemulum*, *qui nihil quaestus aliquot annos pro me fecerat*, *extollere*, *neglectum fovere* etc. V. Parrhas. *Orat.* cit.

(4) V. Cl. Claud. *De Rapt.* etc. ed. Mediol. 1505.

(5) V. Parrhas. *Orat.* cit. ibi.

(6) V. Parrhas. *epist.* ad Pium in adp. — Item *Orat. ad Vicent.* loc. cit.

Neque eo damno, eove sanguine inimicorum irae aliqua ex parte litatum est. Quum enim eo vulnere Parrhasium adhuc vivere comperissent, chirurgum, quo utebatur, pretio corrumpere moliti sunt, ut malum venenum in plaga iniiceret. *Constat enim satis*, ipse Parrhasius aiebat, *Chirurgum, qui me curabat, ingentibus praemiis sollicitasse Carolum, ut malum venenum medicamentis infunderet. Patuere autem doli, eamque de Sicario quaestionem habuit prudentissimus Senatus, quam vix de eo qui in socium vel Primorem urbis peccasset, sumpsisset* (1). Neque minorem aegritudinem de tanto casu reliqui optimi viri suscepere. *Equidem bonis omnibus*, ait, *ipsemet, acceptus vivo... habemusque adhuc integra Principum in nos studia* (2). Nihilo tamen secius solum vertere iterum Parrhasius agitavit, et iterum, Poncherio auctore, eo a consilio recedere coactus est, Carolo clam invitissimo. *Exponere enim supersedeo*, Parrhasius loquitur, *quam gestierit, quantumque sibi placuerit eo periculo motum in patriam me recipere: quanto verum dolore sit affectus, ubi sensit ab Amplissimo Stephano Poncherio, Lutetiae Parisiorum Pontifice, cuius immerito vices gerit, a decedendi consilio revocatum* (3). Verum ea erat viri calliditas, ut numquam palam vehementer in eum inveheretur; immo quum locus aut ratio postularet, illum astu quoque laudaret. Etenim quum abeundi consilium Janus agitaret, resque ad eum delata esset, utpote Senatus Praesidem, Regiumque Archigrammaticum, de Parrhasio sollicitus visus est, et quasi ipse quoque a proficiscendi consilio eum avocaret, senatu coacto, honestissimum ei diploma dedit, quo non optionem modo indulgebat vel Mediolani, vel Ticini ex animi sententia bonas literas profiteri; verum etiam consueto stipendio, quo lubentius detineretur Rhetor, annuos quinquaginta addidit aureos (4). *Non mentior*, ad Vincentinum Senatum clamabat Parrhasius, *extat ecce diploma, diu post illam rabulationem, Senatus eiusque decreto factum, quo decernuntur mihi annua ducenta, optioque datur, ut ex animi sen-*

---

(1) V. *Orat.* cit.
(2) V. Parrhas. *epist. ad Pium.* ibi.
(3) Parrhas. *Orat.* cit.

tentia Mediolani, vel Ticini profitear (1). Attamen quae clam intentata vel inausa reliquit Allobrox, quo vel eum omnino perderet, vel abeundi saltem imponeret necessitatem! Quamobrem quum se quotidie in vitae discrimine, nominisque sui infamia versari Parrhasius perspiceret, libris commentariisque suis collectis, uxore Theodora, et filiolo fortasse, Demetrio socero commendatis (2), Venetias, quo advocabatur, contendit (1507) (3). Quam in Urbem, ut novit Carolus eum pergere, quasi nullo usquam in loco Parrhasium consistere pati posset, plures ad Venetos epistolas dedit, quibus infamem, despectum, invisum illum reddere studuit. *Impotentiam quoque suam*, Janus ait, *ostentare voluit Allobrox, quum me Venetias advocatum, fictis, excogitatisque calumniis propudiose laceravit* (4).

§. XXVI. Quae istae calumniae, quae ficta ista fuerint crimina latere nos ingenue fatemur; quum ipse quidem Parrhasius ad Vincentinos (1507) orans, se ea nescire adfirmaverit; neque porro ad nos umquam pervenit, certiorem tandem istis de rebus factum fuisse. *Non est in praesentia*, ait, *defensioni locus, quum nondum mihi licuerit ordinem sycophantiarum rescire, neque per literas, neque per certos homines, quos quidem diu frustra Mediolano venturos expectavi diu quidem Patavii. Nihil enim adhuc certi possunt offerre; tam sollicite cavet Allobrox ne veritas in lucem veniat* (5). Nec dici potest, ad tantam deflectendam invidiam, tristem et ignominiosam memoriam consulto praeteriisse Parrhasium. Ea enim vehementius prorsus augebatur tacendo, quum iam palam multa et insignia de tristi casu eloquutus fuisset, et ea plerumque putentur vera quae taceantur. Ea contra enarrando et refellendo, quod facile fieri poterat, vel se omnino purgasset, vel animos saltem praeoccupasset. Nonne porro rumor earum rerum serius ocyus ad illos erat perventurus?

(1) V. Parrhas. ubi supra.
(2) V. Pier. Valer. *De infelicit. litterat.* lib. II. pag. 58.
(3) V. Parrhasius, ut ex *Epist. Theoph. Calch.* sup. cit. colligitur, *Valerium Maximum publice privatumque domi praelegit* anno 1506 : iure igitur anno sequenti 1507, et quidem ineunte, ipsum Janum Mediolano excessisse rati sumus.
(4) V. Parrhas. *Orat.* cit.
(5) Ibi.

Nonne de eo actum tum omnino fuisset? Attamen quotquot de Parrhasio scripserunt, ob nefandi criminis insimulationem Mediolano excessisse autumarunt (1); quod quidem probatum nemini iri puto. Constat enim in Parrhasii contubernium plerosque ingenuos et generosos adolescentes sese recepisse; neque alia potissimum ex caussa susceptam cum Carolo inimicitiam, quia idem in contubernium, Mediolanensibus pulsis, Allobroges excipere constanter recusasset Parrhasius. Itane Carolus, itane praeclari Urbis Viri tam prostratae famae Viro carissima pignora, omnemque infamiae labem et fomitem tradere properassent! Parrhasius porro numquam calumniae huiusmodi ne obiter quidem meminit. Quamnam vero tam facile, tam egregie, tam luculenter a se repellere poterat et amovere? Praetereo tot virorum elogia, ludum florentissimum, contubernium, Principum studia (2). Nonne paullo ante eius ex Urbe discessum Amplissimus Senatus, et ipsemet Iafredus Carolus honestissimo diplomate eum exorarunt quo Mediolanensem iuventutem erudiret (3)? Dedissetne illud Carolus, dedisset Senatus illi, quem per octo fere annos probatum, spectataeque integritatis perpetuo habitum, paullo post ex nefando crimine pellerent? Neque in Parrhasii Apologia Furius Vallus id umquam adgressus est data opera; neque fieri potuit pudore a turpi re abstractum: qui enim vel levissime Apologiam illam legerit, omnem prorsus pudorem ea in conscribenda Vallum exuisse fatebitur. Accedit tandem quod maximum est, Damianum nempe Nautam, et Rolandinum Panatum in suis virulentis in Parrhasium *Invectivis*, quum pleraque in eum propudiosa congessissent, huiuscemodi calumniam praeteriisse. Verum esto. Eam de Parrhasio fabulam circumlatam per Urbem ponamus: qui eius aetatis mores noverit, neque propterea Urbe pulsum, neque famae dispendium apud bonos prudentesque viros passum fuisse Parrhasium fatebitur. Quis poëta, quis Rhetor, quis grammaticus fuit, qui tum ab aemulo, vel inimico non insimularetur simili crimine? Quorum consulto exemplis parco, ne in

---

(1) V. Bayle, *Diction.* etc. T. III. pag. 598. Ed. cit.
(2) V. Fur. Vall. loc. cit.
(3) V. Parrhas. *Orat. ad Vicent.* inter MSS. cit.

Manes fabulas videar excitare. Quis loco motus, quis pulsus, nonne potius ad ampliora munera maioresque ad opes pervenerunt, ut Anysius ad ipsum Parrhasium queritur?

. . . . . . *Hinc census oriuntur*,

Hinc et opes, capiti insignes Tyriaeque Thyarae (1).

Satis porro erat invidiam alicuius meruisse, quo sanctissimus quisque foede traductus, miserabile posteris exemplum, turpemque fabulam suis coëvis relinqueret. Neque praetereundum est illam de Parrhasio calumniam a Jovio ipso ut inanem et futilem traductam (2). Quum vera mihi abeundi causa probaretur, Caroli scilicet multorumque Gallorum Principum ira, quam in se conciverat Janus, quum acerbe nonnumquam in eos inveheretur.

XXVII. Quamdiu autem Parrhasius Mediolani commoratus fuerat, nulla fortasse quam ex Vincentina Civitate plures praestantioresque viri studiosius eum coluerant et observaverant. Quod sane ex eo quoque patet, quod pleraque per epistolam quaesita, quae typis excusa sunt, ad Vincentinos inscripta fuerint, quum bonas literas Mediolani profiteretur (3). Quamobrem quum tristem eius vicem ii noverint, miro sui desiderio teneri significarunt, neque pati posse ut civitas alia, prae Patria sua, doctrina et eloquentia Parrhasii frueretur. Princeps vero inter eos fuit Georgius Trissinus, vir generosissimus et doctissimus (4), qui diuturnum per tempus Demetrii Calchondyles discipulus, in soceri domo familiariter cum Jano versatus fuerat, et qua morum integritate, quave doctrinae praestantia exornatus esset, probe noverat (5). Quamobrem

---

(1) V. Jani Anys. *Carm.* lib. III. pag. 66. etc.

(2) V. Jov. *Elog. Vir. litt. illustr.* — Vide quoque Moreri, *Grand Dictionn. Histor.* pag. 828, ed. Lyon, 1681. — Spiriti, *Memorie degli Scrittori Cosentini*, pag. 24 etc. — Ginguene, *Istoire* etc. Vol. VII. pag 214. — Aliosque.

(3) V. *De Rebus* etc. pag. 17, 21, 26, 31, 61, 67, etc. ed. Neap. 1771.

(4) V. Tirab. *Stor. della Letterat. Ital. V. VII. P. III.* pag. 100, etc. ed. Roma, 1785. — P. Angiolgabriello da S. Maria, *Scritt. Vicent.* Vol. III. P. II. pag. CCXXIX.

(5) V. Parrhas. *De Rebus per epist.* etc. pag. 102. ed. cit. Quae quantave fuerit Trissini in praeceptorem suum Demetrium reverentia, et amor, nullo negotio ex hoc deprehendi-

sollicite a Vincentinis accersitus est Parrhasius, eoque stipendio conductus, quo nullus umquam ante se Rhetor donatus fuerat (1507). Cuius quidem rei grati animi ergo ad ipsum Trissinum meminit. *Idque me acceptum tibi referre*, ait, *quod optimi Cives tui, te referente, ducentenis annuis instituendae iuventuti suae me conduxerunt, quanta mercede nullum ante me Rhetorem* (1). Tum ad Vincentinum Senatum orans: *Juventutem vestram*, ait, *mihi, qui maximum honor est, instituendam tradidistis annuis ex aerario ducentis, quantis praeter me nemini. Qua in re non pecuniae magnitudinem, cuius habere captam numquam volui, sed opinionem de me vestram metior* (2). Venit ergo Vincentiam Parrhasius, magnoque, ut par erat, plausu exceptus est. Equidem Evangelista Bladarius vetus Jani amicus, hoc de eo cecinit epigrammate:

Excita nunc somno est quae iam sopita iacebat,
Territa et invasit me mea Calliope.
Janus adest, dixit, nostris venerandus in oris,
Hunc sacrum Vatem nos celebrare decet.
Vade salutatum, tribuas pro munere laurum,
Utque diu vivat da pia thura Jovi.
Nec timeas gemino spectantem tempora vultu,
Argivi et Latii est Gloria Gymnasii (3).

---

tur, quod eo vivis erepto, imponendum tumulo eius, candidoque marmori incidendum sequens epitaphium curavit.

P. M.
DEMETRIO CHALCONDYLAE ATHENIENSI
IN STUDIIS LITTERARUM GRAECARUM
EMINENTISSIMO
QUI VIXIT ANNOS LXXXVII. MENS. V.
ET OBIIT ANNO CHRISTI MDXI.
JOANNES GEORGIUS TRISSINUS GASPARIS FILIUS
PRAECEPTORI OPTIMO ET SANCTISSIMO
POSUIT.

V. Argelat. T. II. P. II. col. 2091.

(1) V. Parrhas. op. cit. ibi.

(2) V. Parrhas. *Epist. ad Senat. Vicet.* aute edit. *Probi* etc. anni 1508.

(3) V. Andres. *Anecd. Graec. et Lat. Prodr. T. I. pag. CLXXX.* ed. Neap. 1816.

habuit de more nonnullas ad Vincentinos orationes auditorio frequentissimo, acerbamque iniuriarum et calamitatum suarum memoriam repetivit: neque profecto quum calumniarum et insimulationum meminisset, alio se tutatus et vindicatus est pacto, quam praeclaro hoc argumento: *Nec recusabo*, ait, *quin eum me iudicetis, quem nostri fingunt obtrectatores, nisi prius evidentissimis argumentis, deinde et rebus ipsis et instituto vitae maledicta et convicia diluero* (1). Eos praeterea oravit, ne subitanea oratione aequum de se periculum iudiciumque ferre velint, quum potissimum quinque per solidos menses vagus errasset, et acerbissimis quoque podagrae doloribus excruciaretur (2). *Nec intermittere*, ait, *studia scio, nec repetere. Quintus iam mensis est ex quo male feriatus huc illuc, illinc huc erro, bellumque Musis indixi. Sed Articularis morbus sic omnium mihi molestissimus se praebuit, meque incredibiliter excarnificavit, et anxium reddit, ne quis ex hac inelaborata, rudique praegustatione specimen ex me coepisse existimet. Quare tentavi priusquam spectandum me vobis exhiberem, cum eis in gratiam redire: quod si mihi per acerbissimum podagrae dolorem licuisset* etc. (3). Tum Senatui amplissimo, civibusque omnibus gratias agit, quod ita mores doctrinamque eius probassent, ut non excepissent modo benigne, verum quum magnopere commendassent: *Vobis autem omnibus*, ait, *universoque vestro Ordini quantas maximas possum gratias ago, habeoque dum vivam, qui me gravissimis*

---

(1) V. Parrhas. ubi supra.

(2) Parrhasium diro hoc morborum genere Mediolani primum laborasse, pro certo tenendum; sed quonam tempore, id nescire nullo negotio fatemur. Lancinus Curtius, cuius saepe meminimus, hac de re, ut ex Mazzuchellianis Excerptis deprehendimus, hoc lusit cum Jano epigrammate:

Quod tibi nunc primum domina torquente podagra
Pes tumet, indignus te cruciatque dolor,
Ultio non haec est meritorum: pectore, et ore
Insons, atque manu, non mala debita habes.
Sed te nobilium dubitanti e gente, podagra
Nobile honore gravi est testificata genus.

(3) Parrhas. ibi.

in illa Curia sententiis ornavistis, *in qua vel nominari summus honor est* (1).

Multus porro fuit in laudibus clarorum virorum qui ea in civitate floruerant, vel magna adhuc doctrinae fama illustres ferebantur; et plurimus sane in exornandis Venetis Patriciis Petro Barbo et Petro Valerio, qui eo anno (nempe 1507) urbi praeerant (2). Neque Rhetorem praeteriit de Cathedrae suae praestantia disserere, eamque honestatam praesertim fuisse ab Omnibono Leonico, egregio Victorini Feltrensis discipulo (3) viro summo, et qui sane dignus sit qui in bonarum literarum instauratores adnumeretur (4). Quamobrem Parrhasius: *Subit*, dixit, *animum quoque tacitus religionis horror*, *ubi succurrit hoc illud esse pulpitum*, *quo Omnibonus*, *ad umguem factus homo*, *iuventutem Patriam classico vivo vocis instituens insidebat*, *accubituque suo non minus ac Hercules Evandri Molorchique mensam consecravit* (5). Neque praetereundum est oratione veluti inaugurali de parentum erga filios munere, deque institutione et educatione liberorum praeclara multa disseruisse (6).

§. XXVIII. Ipsum autem munus adgressus, fide et sedulitate spectata obivit, summoque conatu incubuit, quo bona studia vehementius ibi abpeterentur, et uberius excolerentur. Et fecit

---

(1) Ibi.

(2) Inter Excerpta persaepe a nobis hactenus memorata, aliud quoque occurrit, quod ab erudito Mazzuchellio datum nequaquam arbitramur: quippe et longe aliis characteribus, et Vincentiae exaratum omnino videtur. Verum quisquis ille sit, auctor tamen eius testatur, legisse se in Fastis urbis Petrum nempe Barbum, et Petrum Valerium praefuisse Vincentiae anno 1507; quod quidem sententiae patrui nostri egregie congruit.

(3) Quod ad Victorinum Feltrensem pertinet, Vide *Vit. Victor. Feltr.* ed. Patav. 1774. — Tirab. *Storia della Letterat. Ital.* T. VI. — Corniani, *Secoli della Letter. Ital.* T. II. pag. 50. ed. Brescia, 1818.

(4) V. *Jov. Elog.* etc. — Facciolat. *Fast. Gymn. Patav.* P. II. pag. 110. — Bembo, *Oper.* T. III. pag. 52. — Tirab. *op. cit.* T. VII. P. I. pag. 332. ed. Nap. 1781.

(5) Parrhas. ibi.

(6) Ibi.

sane ut datum est. Ipsemet quidem ad Senatum Vincentinum: *Nisi me ratio fallit*, ait, *pro literarum incremento aliquid effecisse iam videor; nam adolescentes vestri, qui tot apud me pervenerunt ad optimam frugem, debent expectationem nostram sustinere, vestraque erga me officia vobis facere iucundiora.* (1) Quocirca pro urbis amplitudine frequentissimum auditorium, et plerique ingenui adolescentes in contubernium eius confluxerunt; quod sane obscoenam illam fabulam reipsa ineptam, omnique a veritate abhorrentem demonstravit. Acceptus omnibus vixit; neque inimicitiam vel invidiam ullam insignem suscepit, vel aluit et fovit. Qui ibi erant docti et praestantes viri vel observarunt et coluerunt, vel familiares eius extiterunt. Evangelista nempe Bladarius, cuius non semel meminit (3), Barthbolomeus Paiellus (4), ad quem est illa Jani epistola tot eius laudibus referta (5); Galeatius Thyeneus, cuius erudita quaesita saepe solvit Parrhasius (6). Erat tum clarissimus Comes et Poëta Hieronymus Nogarola (7), de quo ad affinem eius scribebat: *Tu es frater uxoris Hieronymi Nogarolae, cuius eleganti iucundaque consuetudine non parum delector* (8). Erat Hieronymus Peregrinus Physicus celebris, cuius Nepos in contubernium erat Jani, ut ex inedita epistola deprehendimus: *Non ita, Laurenti Peregrine, iure contubernii quod tibi comune cum multis est, ut indole morumque elegantia, ac bonarum artium studia potes a me efflagitare omnia, quae ad excolendum pertinent animum* (9). De patruo porro, et nepote epistola ad Anonymum meminit:

---

(1) V. Parrhas. *Epist. ad Senat.* Vincent. ante *Instit. art.* et *Cathol. Probi*, edit. *Vincent. 1508.*
(2) V. MSS. Lat. Reg. Bibl. Borb.
(3) V. *De Reb. per epist. quaesitis* pag. 94. ed. Neap.
(4) V. P. Angiolgabriello da S. Maria *Bibliot. e Storia degli Scrittori Vicentini* V. II. P. I. pag. CCXXXVI.
(5) V. *De rebus* etc. pag. 21.
(6) V. *De rebus* etc. pag. 17, 26, 31.
(7) V. Tirab. *Stor. della Letterat. Ital.* T. VII. P. III. pag. 233. — Lil. Greg. Gyrald. *Dial. De poët. sui temp.* Op. Vol. II.
(8) V. *De rebus* etc.
(9) V. MSS. Lat. Reg. Bibl. Borb.

Litteras, ait, *ad Aesculapii nepotem* (*cur enim Peregrini mei verum decus et ornamentum non agnoscam?*) *quas his annexui, perferendas ex fide velim* (1). Erat Nicolaus Leonicenus (2), *qui solus illa aetate*, ut ipse Parrhasius ait, *revocavit orbem disciplinarum sic, ut in plurimis ex aequo cum C. Plinio contendat* (3). Erant alii quoque quos, ne nimius sim, consultus praetereo. Ex quo potissimum factum est, ut pacatiorem et iucundiorem, quam alia in civitate degeret vitam; neque vel Neapolis, vel Romae, vel Mediolani amplius desiderio tangi videretur. Ipse sane Parrhasius ad Georgium Trissinum: *Optimi Cives tui*, ait; *tanto me habent in honore, ut neque Mediolani frequentiam, neque Urbis Romae magnitudinem, neque Campaniae secessum amplius desiderem* (4). Coluit quoque per literas amicos absentes, et plura excepit et dedit quaesita per epistolas (5). Nonnulla quoque edidit Parrhasius vel sua, vel veterum grammaticorum, quo ad meliorem frugem in dies adolescentes suae fidei commissos perduceret: *Clausulas nempe Ciceronis, ex epistolis familiaribus excerptas* (6); *Breviarium Rhetorices ex optimis quibusque Graecis et Latinis auctoribus depromptum*, in gratiam praesertim contubernalium adolescentulorum (7). Typis quoque recusit *Instituta Artium*, et *Catholica Probi*, quae primo Mediolani

---

(1) V. *De rebus* etc.

(2) V. Tirab. *Storia della Letterat. Ital.* T. VII. P. III. pag. 236. ed. Roma 1785 — P. Angiolgabriello, op. cit. Vol. II. P. I. pag. CLXXXVIII. etc.

(3) V. *De Reb. per epist. quaesit.* pag. 76. ed. Neap. 1771.

(4) V. Parrhas. *op. cit.* pag. 102. etc.

(5) V. *De rebus* etc.

(6) Ex excerpto nuper citato deprehendimus, *Clausulas Ciceronis* Vincentiae editas anno 1508; eiusque exemplar nonnisi unum vidisse in Bibliotheca Pirelliana auctor eiusdem excerpti testatur, quod in T. II. Catalogi eiusdem Bibliotecae pag. 440 descriptum fuerat.

(7) Extat in Regia Bibliotheca Borbonica unum huiusce *Breviarii* Rhetorices exemplar, a Jano editi *Veicetiae*, *Kalen. Jan. MDIX. per Henricum librarium Veicetinum, et Jo. Mariam eius filium, in — 4.°*

(1504.) excuserat (1), et Senatui Vincentino dicavit (2). Janus Antonius Caesarius Consentinus, auditor, familiaris et comes Parrhasii, hoc de eo opere cecinit epigrammate:

Grammaticae quaecumque Probus praecepta reliquit
Aetatis vitio delituere diu.
Ausoniae postquam Janus custodia linguae
Providit, volitant docta per ora virum.
Debemus tibi, Jane; magis Probus ipse fatetur
Se debere tibi, quo duce morte caret (3).

Edidit eodem tempore *Cornelium Frontonem de Nominum verborumque differentiis*, et *Phocae Grammatici de flandi nota, atque de aspiratione libellum* (4). Nuncupavit autem opus Ludovico Michaëli generosissimo adolescentulo, Patricio Veneto auditori suo. Venerat enim is Vincentiam cum avunculo suo Francisco Donato Praetore Urbis (5) viro praestantissimo, atque una cum Aloysio Francisci filio dabat Parrhasio operam (6), qui plura dubio procul edidisset, si per temporum iniquitatem licuisset. Jam enim statim ac venerat, *Quaesita sua per epistolam*, quae Mediolani confecerat, pollicitus fuerat. Nam Oratione ad Vincentinos: *Illud opus*, ait, *cui titulum feci: De rebus per epistolam quaesitis . . . adhuc domi servatur, et propediem vestris auspiciis in publicum exiturum* (7). Tum epistola ad Michaëlem, de quo nuper meminimus: *Adhibebis ad haec Aloysium Donatum Francisci filium, hilaris et amoeni ingenii puerum. Nam paullo post ipse te*

(1) V. §. XXIII. huius Vitae, pag. 63.
(2) V. Parrhas. *Epist. nuncupat. ad Senat. Veicetinum* praepos. edit. Grammaticorum, confectae *Veicetiae XII. Februarii MDIX.* etiam per *Henricum et Joannem Mariam ejus. fil. librarios.*
(3) Legitur in fronte eiusdem editionis.
(4) Ad calcem epistolae a Jano datae ad Michaëlem legitur: *Veicetiae VIII. Id. Febr. 1509.*
(5) V. Parrhas. *epist. ad Michaëlem.* — Franciscum Donatum, deinceps Venetiarum Ducem, Vincentiae anno Domini 1508 exercuisse Praeturam, ex publicis tabulis Vincentinis auctor documenti modo citati, se deprehendisse testatur.
(6) V. Parrhas. Epist. cit.
(7) V. MSS. Parrhas. saep. cit.

suo munuscolo, *quod adhuc apud me sub incude est*, *impartiet*.

§. XXIX. Sextus interea mensis implebatur, ex quo celebre illud *Cameracense* foedus initum fuerat, atque Julius II. Pontifex, Ludovicus Gallorum Rex Christianissimus, Ferdinandus Catholicus, et Maximilianus Imperator in absolutam Venetorum perniciem coniuraverant (1). Hi iam a plurimo et acerrimo hoste undique premebantur, nonnullisque praeliis prostrati iam iam perituri videbantur (2). Quamobrem fortunae conversionem, pacatioraque tempora futura desperans Parrhasius, hostibus iam iam (1509.) Vincentiam adpropinquantibus, vel quia a Germanis, vel quia a sociis Gallis timeret, urbe tandem excedere in animum induxit. Consilium vero maturius confecit Janus Caesarius suus, cui propterea ad Thomam Phaedrum epistolam dedit, quo Romae benigne exciperetur et foveretur. *Caesarius hic meus*, ait, *et conterraneus et admodum familiaris*, *iniquissimis utriusque nostrum hinc exactus*, *a me petiit ut se tibi commendarem* (3). Profectus tandem ipse est (Kal. Jun. 1509.) pridie fortasse quam Germani urbe potirentur (4); ratusque Patavium fore omnino tutum, vel propinquitate Urbis principis, vel sanctitate studiorum, eo celerius contendit; neque a sententia discessit, quum captum illud quoque postridie sensit a Germanis, quum res de man-

---

(1) V. Murat. Annali d'Italia, T. XIV. anno 1509. ed. Nap. del 1786. — Guicciard. *Storia d' Italia*, aliosque.

(2) V. Guicciard. *Stor. d' Italia* lib. VIII. — Murat. ivi.

(3) V. Parrhas. *MSS.* in Reg. Biblioth. Borb.— Excessit fortasse Vincentia Caesarius XIII. vel XII. Kalend. Junii. Ex Catalogo enim *MSS. Latin.* Reg. Bibl. Borb. colligitur, ipsum XIV. Kal. eiusdem mensis anni 1509 apud Parrhasium exscripsisse Satyras Persii, quae notulas habent interlineares inter versuum spatia, manu eiusdem Jani exaratas; qui vero eas absolvere nequiverat, quod sibi procul dubio confestim Vincentia excedendum fuit.

(4) Ex Publicis Vincentiae Fastis, auctore Excerpti superius cit. referente, colligitur, quod post fatale Venetianis ad Abduam certamen, Franciscus Donatus Praetor, et Gabriel Maurus Vincentiae Dux, die 11. Junii anni 1509, hanc ipsam civitatem publica auctoritate, Caesaris Legatis in deditionem tradiderunt.

dato acta et composita fuisset (1). Quamobrem literarium aperuit ludum, quo rationes suas male iam feriatus, certoque sine Lare quodammodo servaret (2). Fecit tamen aegrius, quum Rhetor fere emeritus, maximisque a civitatibus stipendio honestissimo et publico conductus, aequo animo haud ferre posset parva in urbe, privata in schola tenui salario profiteri. Ipse sane oratione ad novos discipulos, quum munus ab Horatianis Odis auspicaretur: *Si quis alius*, ait, *Ornatissimi Juvenes*, *Artis Grammaticae professor*, *eloquentiae Magister ex eo loco*, *quem nos honestissimum Romae*, *Mediolani et demum Veicetiae tenuimus*, *ad hanc iniquam temporum conditionem redactus esset*, *ut privatim doceret*; *incusaret ille quidem fati necessitatem* (3). Attamen se quodammodo solari Parrhasius visus est spectata urbis fama, et gloria literarum qua fruebatur: *Verum huius Urbis*, addidit, *celebritas*, *et Patavii nomen ubique gentium venerabile*, *compensat omne salarii detrimentum*. Mense autem vix elapso, Germanorum Patavinis iugum intolerandum visum est; quamobrem incredibilis tumultuarii rusticive militis vis coacta est, et iustus quoque Venetorum exercitus ad urbem recipiendam processit (1509.) (4). Cessit ex voto consilium, receptaque fuit urbs XVI. Kal. Sextiles, ut optime Muratorius noster demonstravit (5); verum postquam inconditus ille et ferox miles caede omnia, rapinis, horrore complesset, Nescio quidem an Parrhasii oculis tam tristis et infanda direptio subiecta fuisset. Illud omnino constat, quod circa haec tempora per medios hostes dilapsus sit: verum quum auditores omnes et praeceptores diffugissent, quum desertae omnino Scolae, iustitiumque illud literarum praeclarissimo in Athenaeo indictum fuisset; etsi fatum urbis evasit, haud palantum militum, qui totos eos agros complebant, rapaces manus vimque furentem effugit. Etenim tota fere supellectilis sua direpta; bibliotheca, quae insignis erat, maxima ex parte

(1) V. Parrh. *praef. in Liv.* inter *MSS. Lat.* Reg. Bibl. Borb. et *praef.* eiusdem in *Horatii Odas.* ibi.

(2) V. Parrh. *op. cit.*

(3) V. Parrhas. MSS. cit.

(4) V. Guicciard. *Storia d' Italia* lib. VIII.

(5) V. *Annali d' Italia* T. XIV. anno 1509. pag. 57, ec. dell' ediz. cit.

amissa, vix vita incolumi servatisque acerrime Commentariis et lucubrationibus suis, (desinente fere mense Quint. anni 1509.) Venetias pervenit. *Equidem* ad Caesarium suum scribens haud multo post · *hostile ferrum*, ait, *angue tum verno spoliatior, praeter aliquot ex illa supellettili librorum, Commentarios et lucubrationes opera portorum servatas, habeo incolumes. Habeoque dum vivam Deo Optimo Maximo gratiam, quod me ex Orci faucibus eripuit* (1).

§. XXX. Venetiis porro dignum Parrhasio hospitium non defuit. Ludovicus enim ille Michaël, qui Vincentiae auditor eius fuerat, ut diximus, ut adventum suum casusque acerbos novit, ut generosum adolescentem egregiumque discipulum decebat, benignissime hospitio excepit, et aegrum, inopem extorrem Praeceptorem omni ope et officio iuvit (2). Erat sane Parrhasius penes eum Sextili mense quum *Excerpta ex Pindaro*, quae absolute confecit, adgressus est. In fronte enim libri haec sunt manu sua: *Janus Parrhasius haec Venetiis excerpebat aeger ex podagra mense Sextili* 1509, *apud Magnificum Venetumque Patricium Dominum Ludovicum Michaëlem Petri filium* (3). Lubenter autem Janus Venetiis morabatur; haud sane quod per diuturnum ibi tempus degere constituisset, quum acerbiori podagrae dolore premeretur; verum quia conversione fortunae, vel pace ineunda, pacatiora tempora expectaret. Vincentini enim, quamvis direpti et pessumdati, eum recipere parati erant, ubi tempora indulsissent; et Lucenses magno stipendio proposito, ad se accersebant. *A Veicetinis*, ad Caesarium ait, *oror ut expectem: Lucenses invitant honestissimis conditionibus... Venetiis articulari morbo vexatus in animo morari non est, multoque minus in Patriam redire, ubi quid spei propositum sit, ipse probe nosti* (4). Inierat quoque consilium Parrhasius quo nonnullas absolutas lucubrationes suas ea in urbe typis excuderet. Verum tum per adversam valetudinem, tum per tem-

---

(1) V. Parrh. *Epist. MSS.* inter MSS. Lat. Reg. Bibl. Borb.
(2) V. Parrhas. MSS. cit.
(3) V. Parrhas. op. cit.
(4) V. Renouard, *Annal. dell' Imprim. des Ald.* T. I. pag. 130. T. III. pag. 49, et suiv. ed. Paris, 1825.

porum iniquitatem non licuit. Namque omnibus commerciis interclusiis, in tam tristi incerto et sollicito Civitatis statu quaedam iustitiae species et typographis indicta est. Et ipse quidem Aldus tabernis eo anno clausis, ab omni opere vacavit (1). *Meorum scriptorum*, Parrhasius ad eumdem ait, *nihil adhuc edidi, tum quod per hyemem fere totam decubui, tum quod iniquissimis iis temporibus impressores Arcae suae parcunt* (2). Circumacto autem anno, quum nulla pacis concordiaeque spes affulgeret, acrius immo vehementiusque bellum conflaretur, quamvis aegre, in Patriam se tandem recipere in animo instituit. Quamobrem se parvis itineribus dedit in viam, et iam quidem idibus Februarii anni 1510 Neapolim pervenerat; qua porro in felicissima Urbe, ubi suaviora fortasse vitae suae tempora degerat, quatuor circiter per menses mansit. Quamobrem veteres amicos salutavit, atque amoena et genialia ista loca revisit, quibus reliquia adhuc vel Romanae magnitudinis, vel Graecae sollertiae supererant. Equidem in epistolae ad amicum fragmento: *Post annum fere decimum reversus a Gallia citeriori, Puteolos, proximaque Puteolis miracula non minori studio perlustravi, quasi nunc a me primum visa forent; ita quasi nova semper animum percellunt, ut oculos numquam satient* (3). Quo etiam tempore renovata, et aucta est vetus et insignis cum Antonio Seripando amicitia. Erat is ex Neapolitana Nobilitate Patricius, Hieronymique Cardinalis deinceps praestantissimi frater. Vir quidem apprime doctus, facilis, liberalis; eaque ex re a Petro Gravina, ab Anysiis fratribus, a Lepirio, Summontio ceterisque fere omnibus aevi sui poëtis, doctisque viris laudatus, observatus dilectus (4). Usus porro fuerat ut socio et comite studiorum Parrhasio nostro, quum is Neapoli degit (5). Quamobrem et lucubrationes, et Commentarios, et libros qui su-

---

(1) V. Parrhas. epist. MSS.
(2) V. Epist. cit.
(3) V. Epist. MSS. cit.
(4) V. Jani Anys. Poëm. lib. V. pag. 93. etc. aliosque.
(5) V. Bernard. Martyrani *Epist. ad Cardinalem* de Accoltis, ante *Comment.* Parrhas. in *Horat. Art. Poët.* edit. Neap. 1531. — Jan. Anys. *Poëm.* lib. III. pag. 66. —§. VII. pag. 18. not. (3) huius Comment.

pererant Parrhasio invisit evolvit legit, eosque tanti fecit, ut de iis Carbonianis in hortis praeclaros socios frequenti Academia detineret. Equidem Hieronymus Carbo, apud quem Academia cogebatur, celeberrima illa Elegia sic canit:

Invisit (nunc) *cultos Siripandus sedulos hortos*,
Ingenii repetens tot monumenta sui,
Doctaque Parrhasii scripta et memoranda per aevum.
O fidum sanctae pectus amicitiae !

Quae profecto vel eo ipso tempore, quo Neapoli Parrhasius detinebatur, recitasse videtur Carbo, vel haud multo quidem post tempore. Is enim Seripandum de scriptis illius ad Academiam referentem inducit, quod sane diu post fieri commode non poterat. Franciscus Puccius qui Academiae intererat, vix anno post, et quidem Romae suum obiit diem (2).

§. XXXI. Parvis autem itineribus, ut podagricus, pergens, in Patriam III. Idus Junias, quum comitatum et sarcinas praecessisset, Casalenovum pervenit; ex quo parum abfuit quin Policastrum vel Neapolim revocaretur, ob nunciatam adversam filioli valetudinem. Qua de re ad Caesarium suum, quem sollicite advocabat, scribens: *Adhuc*, ait, *in expectatione sumus, et quidem subdubia, ob adversam filioli valetudinem, qui subita morbi vi correptus, decubere nunciatur; quas ob res fieri potest, ut hinc aut Policastrum, aut Neapolim revocaremur* (3). Eo vero brevi confirmato, paullo post tandem Consentiam pervenit (1511), quo adversa fata, ut verebatur, veluti ex composito eum manebant. Statim enim frater eius qui supererat, morbum lethale contraxit, quo per duos circiter menses consumtus, extinctus est (4). Familiaris res tenuis erat, onusque familiae curandae, uxoribus, filiis, propinquis defunctorum fratrum superstitibus, in se recidit totum (5). Quin immo, quo aliud misero viro malum accederet, parum abfuit quin Caesarii sui, quem ut

(1) V. Adp. huius Comment.
(2) V. §. VII. eiusd. Comment. pag. 18. et not. cit.
(3) V. Parrhas. *Epist. MSS.*
(4) V. Parrhas. ibi. Epistola data est XI. Kal. Octob. Consent.
(5) V. Parrhas. ibi.

filium vel fratrem diligebat, animus a se averteretur. Literariam contentionem agitaverat is cum Carolo Iardino Civi suo et condiscipulo, iuvene apprime docto, eaque de re praeceptorem Parrhasium certiorem fecerat per epistolas. Quumque instituisset Apologiam suam in Iardinum, retractatam fortasse et auctam illi iterum dimittere, hoc pacto responderat Parrhasius: *Non est cur ad me des Apologiam, quippe quam saepe lectitari: placuerunt omnia, nisi quod indignum puto Cercopithecum cui maledicatur a bonis* (1). Quum autem is Consentiam pervenit, vel quia maturius rem perpendisset, vel quia Jardini momenta, Apologiam, rationemque qua in aemulum se tueretur nosset, si victoriam Caesario adscripsit, Cadmaeam eam fuisse pronuntiavit (2). Aegre autem id tulit Caesarius, et praeceptori visus est quodammodo adversari. Quamobrem de ea re blandiorem dedit illi epistolam Janus; qua sententiam suam honorificam illi fuisse contendit, eamque victoriam Cadmaeam intelligi, qua aequo Marte utrimque discessum est (3). Quo ergo Parrhasius tantam fortunae invidiam declinaret, oblatam ab Antonino Siscare conditionem amplexus est. Comes is Agelli, oppidi pauco intervallo a Consentia dissiti, literas et doctos viros magno animo fovebat, filiosque suos perquam liberaliter erudiri constituerat. Quamobrem ut novit Parrhasium Consentiae esse, honestissimis conditionibus eum ad se accersivit. Et re quidem vera, ex epistola ad Caesarium XI. Kal. Octobris (1511) missos iam Agellum libros deprehendimus: *Ubi licebit*, ait, *Agellum petere, quo iam praemisi Codices, elenchon ad te librorum mittam* (4). Neque haud multo post credendum est, cum filiolo et uno alterove nepote illuc properasse. Excepit sane benignissime Comes, utque liberalis doctus magnificus erat, omni ope et officio fovit et coluit. Etenim praeter quam quod hospes et filiorum praeceptor Parrhasius erat, speciem quamdam ipse Moecenatis prae se ferre adfectabat, eaque de re et poëtas

---

(1) V. Op. cit.
(2) Id. ibi.
(3) Id. ibi.
(4) Ibi.

et literatos excipiebat et fovebat libenter (1). Et ipse sane fuit qui Ludovico Montalto Siculo viro praestantissimo, qui muneribus maximis a Ferdinando Catholico Siciliae, Aragoniae, Neapoli actus fuerat (2), Parrhasium ut par erat commendavit, desideriumque in eo excitavit vel interpellandi vel noscendi. Etenim non in studiis modo legum, sed in humanioribus quoque literis praestabat Montaltus; neque nostrae Academiae postremum erat ornamentum (3). Quamobrem quum *ad compescenda perditorum quorundam latronum furta* Brutios inviseret (4), per Siscarem apud Parrhasium egit, quo de ponderibus et mensuris veterum accurata quaedam lucubratio demitteretur. Gestus est statim mos: paucarumque horarum spatio iustum libellum de quaesitis Parrhasius confecit, longamque epistolam dedit, sive mavis elogium praestantissimum (5). Inter cetera quidem: *In te*, ait, *militaris disciplinae experientia*, *dictorum factorumque mirabilium summa cogitatio*; *tanta vero commoditas orationis*, *ut Sulpicios*, *Trebatios*, *Ulpianos*, *immo nobis Cicerones exprimas* (6). Neque eum praeteriit evulgatum nominis elogium, quo tot tantique poëtae, qui exquisitis eum laudibus extulerant (7), usi fuerant, usurpare: *Non abs re*, addidit, *Montis Alti nomen impositum tibi videtur*; *in te enim humanarum divinarumque rerum summa peritia*, *prudentiae lumen*, *temperantiae decus* (8). Verum haud multo post ab articulari morbo vehe-

---

(1) Parrhas. ibid. — V. Saler. *Sylv. epic. etc. epist. nuncup.* edit. Neap. 1538 — Item lib. III. eiusd. op. ad *Philomusum* etc.

(2) V. Mongit. *Bibl. Sic. T. II.*—Petr. Gravin. *Poëm. et epist.* pag. 16. — Summonte, *Istoria di Nap.* lib. I. — Parrini, *Teat. de' Vicerè di Nap.* — Toppi *De Orig. Tribun.* P. III. a pag. 145, ad 149.

(3) V. Eosd. modo cit.

(4) Parrhasii verba sunt, qui addit quoque *ad ordinandam pecuniam*. ut videre est in *Epist. MSS. ad Lodov. Montaltum De Pond. vet. et Mens.*

(5) V. Parrhas. ibid.

(6) Ibid

(7) V. Petr. Gravin. *Poëm. et Epigr.* pag. 16. — Sannaz. *Op. omn. Eleg.* lib. II. pag. 95. ed. Neap. 1732.

(8) Ibid.

mentissime adgressus, ita misere cruciatus et confectus est, ut vitae omnino tederet; quamvis Comes suus Siscar nullo sumtui, nullo officio parceret, quo eum a tanta peste vel liberaret vel levaret. Ipse quidem ad Caesarium scribens: *Nihil vero, Caesar, ait, habeo, cur adeo de fortuna querar, quam quod ex illa mortis imperturbatissima quiete me rursus ad aerumnas vitae revocavit: abibam laetus ex hac inutili corporis sarcina, si per Heroem, cui servio, licuisset. Is enim summis opibus effecit, ut ego diutius articularis morbi carnificinam perpetiar, hermae simillimus, quippe cui nec manus nec pedes ad officium dati, sed ut incredibili dolore crucientur, utquumque vivamus; immo quotidie moriamur. Tibique gratias ago maximas, quod Parrhasii reliquias tam constanter ames* (1). Quamobrem eum ad se accersiit; atque ad *Lysaniae* sive *Neocastri* balnea profecturus, quae haud longo intervallo ab *Agello* distabant, Siscaris pueros et suos fidei et industriae suae commendavit. Pridie Kal. Septembris (1512) ita ad eum scribebat. *Balnea visa sunt aliquid opis attulisse... ego propediem revertar. Interea tu cura pueros heriles et meos* (2). Reversus autem *Agellum* circumacto anno, ex pacto fortasse, Consentiam regredi maluit; ibique, ut coniicimus, Basilium uxoris suae fratrem excepit.

§. XXXII. Parrhasius enim biennio post ad illum scribens, Vincentiam fratris sui uxorem iam novisse ait; quod sane nisi Consentiam advenisset, nullo pacto fieri potuisse videtur. *Dum tu cunctaris*, scribit, *per absentiam Jani Lascaris Herois an viri dicam nescio... memorabiles duo casus acciderunt; utrique domus ἡ'μετεραι proprii. Vincentia* ἀδελφῦ μῦ Γύνη *quam nosti* etc. (3). Neque porro tot propinquorum, affinium, civium nomina ostendere illi commode Parrhasius studuisset, nisi illos novisset Basilius. Iter praeterea neque longum neque arduum. Theophilo enim fratre occiso (4), defuncto Demetrio, parvo fratre Seleuco antequam pubertatem attigisset

---

(1) V. Epist. MSS.
(2) V. loc. cit.
(3) V. Marquardi Gudii *Epist. Doctiss. Vir.* epist. XLVIII. pag. 137. ed. Ultrai. 1697.
(4) V. Sax. Hist. Litt. Typ. Mediol. pag. CCCCXXII. Pier. Valer. *De infelic. Litterat.* lib. II. pag. 58. etc.

erepto, cum matre et sorore (1) se receperat Romam. Et si coniectio omnino absurda non est, illa ad *Luciam* elegia (2) ad se uxorem Theodoram advocasse videtur Parrhasius. Constat enim inter omnes, poëtas interdum vel elegantiori vel simbolico nomine uxores quoque compellasse; tum quod in ea Luciam quo potest enixius rogat, quo ad se proficiscatur, qui acerbissimo cruciatu confectus, iam iam animam efflaturus videretur; ut suum in contubernium concedat iterum, a quo invicem separati et distracti, fati inclementia fuerant. Quae omnia, ut quisque videt, belle Theodorae uxori congruunt, quae Romae procul erat, qua vix quatuor per annos usus fuerat, septimusque iam volvebatur annus, quo ea carebat. Illo praeterea versu:

Dum tibi (Lyda) *posthabita est. flosculus Ausoniae.*

foeminam haud Italicae originis innuere videtur. Quis porro omnia illa ad meretricem traduxerit? Quantumvis perditorum morum illum fuisse fingamus, inducere ne sani in animum possumus tam serio, tantis votis meretricem procul absentem ad se arcessere Parrhasium potuisse, quum eo malorum ventum esset, ut scripserit:

— *Tu potes*
Erigere hunc animum pulsat qui limina mortis,
Pectore iam vacuo si quid inest animi.
Viximus, et nobis nihil iam nisi restat imago
Vana.
Non potes (Parca) *ignoscas mea stamina rumpere, nullum*
Namque tibi ius est corpus in exanimum.

Fieri praeterea potuit consuetudinem nefandam non modo palam fecisse, sed veluti honestissimum facinus repetisse, invectumque in Fatum quod ab ea arceretur? Plura alia sunt, quae prudens praetereo. Illud vero addendum est, quod de

(1) V. Pier. Valer. ubi supra — Ex epistola Jani ad Basilium id apertissime evincitur. Noster enim inter cetera, quae in ea habentur, haec quoque scripserat; *Vale et amicis omnibus a me salutem, sed imprimis optimae socrui et uxori.* Quum literas huiusmodi Parrhasius dabat ad Basilium, hic Romae tum vitam degebat.

(2) V. Adp. huius Comment.

simili crimine tantum horrorem ad Basilium scribens prae se tulerit, ut vix verba suppeterent (1). Tum Basilius ipsemet sic ad eum respondebat: *Mulieribus te parum obnoxium atque obtemperantem sciebam* (2). Neque porro Valeriano credendum est, qui obtrudere videtur reverentia Pontificis biennio post receptam uxorem: *Demetrius alere tamdiu Theodoram coactus est, donec post aliquam annorum seriem, eo iam mortuo, Leo Pont. Max. conducto Jano ut Romae profiteretur, uxorem etiam ipsemet auctoritate sua traduci iussit* (3). Haec enim nimis invidiose dicta sunt: Parrhasius enim antequam certa ulla spes affulsisset proficiscendi Romam, ad Basilium scribebat: *Sed in primis a me salutem optimae socrui et uxori. Quum literas ad eas dabis, de cuius voluntate nihil ad hanc diem ex tuis literis intellexi, reditura ne sit in gratiam conturbeniumque meum, vel quid aliud in animum agitet. Ego enim statui vel secum vivere, vel aliud vitae genus hoc longe quietius instituere* (4). Ex quibus patet et saepius alias ad eam epistolas dedisse, neque mediocri eius desiderio teneri. Neque fortasse alio ex capite aversum quodammodo a viro Theodorae animum fuisse deprehenditur, nisi quod ille ad se perducendam ut par erat, antea non curasset; quod tamen, si casus fortunaeque tenuitatem Parrhasii spectaverimus, haud vitio verti posse confidemus.

§. XXXIII. Conductus interea fuerat Janus a Tabernatibus, ut per annum (1513) stipendio publico iuventutem patriam bonis in literis erudiret (5). Quamobrem confectis feriis autumnalibus, profectus est Tabernas, oppidum viginti fere a Consentia milliariis dissitum. Habuit de more ad discipulos ante praelectiones orationem, eaque de Grammatices laudibus, deque iis omnibus, qui per omnes aetates in ea laudem adepti fuerant copia et eruditione incredibili disseruit (6). Neque clarissimum Rhetorem puduit, ad ea etiam se minora

---

(1) V. *Epist.* cit. ap. Gudd.
(2) V. Gudd. *epist.* XLIX.
(3) V. *De infelicit.* loc. cit.
(4) V. Gudd. *Epist.* cit.
(5) V. Parrhas. *Epist.* inter MSS. Lat. Reg. Bibl.
(6) Extat inter cetera MSS. Lat. eiusdem Bibl.

conferre, quae pedagogorum vulgo censentur. *Quum semel*, ait, *induximus animum Tabernas hoc anno docere, cuiuscumque generis et aetatis huc itabunt, ad illa etiam minora, sed quae si negligas non sit maioribus locus, equidem me demittere non recusabo* (1). Quo vero molesto munere quodammodo levaretur, usus est hypodidascalo Thoma Mercatore Tabernate, iuvene erudito, qui studiose Parrhasium colebat, eoque duce ad penitiora studia progrediebatur (2). Et heic quidem probabile est excitatam tum et agitatam cum Joanne Crasso praeceptore olim suo, acrem de Sybari et Thurio contentionem. Nam Parrhasius ad Mercatorem Tabernas scribens, quum iam ex oppido discessisset: *De Crasso nihil ad me novi*, ait; *nam quid aliud ab illa mole corporis expectandum? ne totus a Prometheo subductus ignis aliquantulum excitabit* (3). Quum ergo cuidam magni ingenii Principi, quem alterutrum ex Antonini Siscaris filiis fuisse putaverim, ostendisset Parrhasius ubi vere Sybaris, quae Thurium deinceps dicta est, sita priscis temporibus fuisset; haud arrisit sententia Crasso, eaque de caussa longas dedit ad Principem literas, quibus Sybarim ad Tabernas fuisse imperite contendit, nescio qua praesertim ductus auctoritate auctoris de *Mirabilibus Mundi*, qui tum Aristoteles putabatur. Quamobrem ne sibi deesset Janus, veritatemque, ut par erat, tueretur, epistolam et ipse Principi dedit, qua sententiam suam Graecorum Latinorumque scriptorum auctoritate firmatam defendit, et miserum Crassum acerbissime exagitavit. Etenim praeterquam quod toto eo proëmio, quo ad Franciscum Poncherium de simili prorsus re scribens usus fuerat (4), ad verbum usurpavit, perpetuo *Senem psittacum*, *Crassum hominem*, *Crassae Minervae* pedagogum nuncupavit; et quo aemulum manifestius innueret, *C* semper maiusculo usus est (5). Quamobrem haud acute, ut par erat, perspexit rem Mazochius

---

(1) Parrhas. ibid.
(2) Id. ibid.
(3) V. *De rebus per epist. quaesitis* pag. 140.
(4) V. op. cit. pag. 42.
(5) *De Sybari et Thurio etc.* MS. Lat. Reg. Bibl. Borb.

noster, quum pronuntiavit: *Nam nescio quem confutandum sibi suscepit ea scriptione* (Parrhasius), *quae quidem in epistolae modum incipiens, haud tamen cui scripta sit ex principio exve progressu liquet* (1). Addidit et alia multa. Neque fortasse vel Graecus vel Latinus auctor fuit, quem ad sententiam suam, a qua nullus umquam eruditus discrepavit, non adduceret adferret aptaret. Quaproter magnus ipse Mazochius illud anecdoton in lucem emittere constituerat, prodromoque suo de Magna Graecia adiungere: *Extat*, ait, *Jani Parrhasii, qui abhinc plus ducentos annos lux ingens Bruttiorum fuit, accurata tractatio inedita, quam ex eius authographo describi curabimus* (2). Et quamvis pollicitam fidem fefellisset, praesertim, ut ipse ait, *quod pleraque iam ubique vulgata contineret*; addidit tamen vir hisce in rebus eminentissimus: *Sed ita tamen, ut sint quaedam quae tollere possis, et alioqui* ἀντιῤῥητικά: *inter quae praecipue decerpi merentur, vetera locorum eius Regionis nomina cum recentibus comparata; nam* ὁδὲ πάρεργον *plurima tangit vetera Graecorum et Bruttiorum loca, eaque distinguit vocibus posterioribus. Fuit enim acerrimi iudicii vir, cuique tutius quam aliis scriptoribus nostris credas... quippe Graecos Latinosque auctores in numerato haberet, et facillima eloquentiae vena flueret* (3). Neque praetereundum est hoc, quod extat lucubrationis exemplar, haud absoluti perfectique operis speciem prae se ferre: tumultuaria quaedam rerum ad opus spectantium collectio est, et informatio potius et obumbratio iustae et plenae lucubrationis.

§. XXXIV. Anno elapso (1513.), idem ad munus obeundum Petramalam (1514.), propinquum Agello oppidum, vocatus est (4). Verum quid praeclari heic egerit ignotum est. Haec vero in tempora Satyra illa Anysii, de quo et superius

(1) V. Alex. Simm. Mazoch. *In Tab. Heracl.* P. II. *Collect.* V. *Monit.* II. pag. 526. ed. Neap. 1755.

(2) V. P. I. *Diatr.* I. *De Magna Graecia.* Cap. V. pag. 33. n. 15. ed. cit.

(3) V. *Collect.* V. P. II. pag. 526. not. (70).

(4) V. *Epist. MSS. cit.*

meminimus (1), referenda videtur. Etenim neque serius fieri potuit, Parrhasio Romam profecto, neque prius, ut illis ex versibus edocemur:

Nuper obit mortem convictus Coppula, firmo
Vultu in Regem, ut Anaxarchus, laetusque supernis,
Linquebat terras Coeli inflammatus amore.

Philippum enim Coppulam, filium Francisci Sarni Ducis, qui a Ferdinando I. Aragonio capite plexus fuit (2), Ferdinandus Catholicus Decembri mense 1512. foede discerptum necari iussit, quia comperisset dedisse eum operam ut Ferdinandus, Friderici Aragonii filius, e manibus eius evaderet (3). Janus autem Anysius sub extremis Ferdinandi I. temporibus et Friderico Aragonio Rege, familiariter Parrhasio usus fuerat ut amico et socio earumdem studiorum. Quamobrem quum ad carpendos mores hominum animum adpulisset, maluit praeclaris amicis lucubrationes suas singillatim nuncupare. Inter eos praecipuus fuit Parrhasius, quamvis amicitia illa veluti vetus, quindecim saltem annorum intercupedine facta videretur. Quamobrem ita canere incepit.

Parrhasium ad Sylam Oenotriaque arva colentem
Proceras inter Piceas Pinusque, Papyre
I mea, convenias, compella nomine claro....
Nihil illo est mitius...
Turpi in corpore mens habitat pulcherrima. Numquid
Vis? referet, nostram te multam ferre salutem.
Parrhasium ne illum praeclari nominis? illum? (4)

Hoc quoque anno filiorum illum superstitem obiisse videtur. Plures sane filios ex Graeca uxore genuerat; sed omnes ipsis fere in incunabulis interierant. Ita sane ipsemet ea de re queritur. *Capiti quidem meo pepercit fortuna in poenam, liberos autem melioris omnes sexus, et indolis (qualem sortiuntur infelices et cito morituri) de sinu meo raptos, avo pa-*

---

(1) V. §. XXVI. pag. 79. huius Comment.
(2) V. Giannone, *Storia Civile del Regno di Nap. lib. XXVIII.* Camillo Porzio, *Congiura de' Baroni* ec. — Summonte *Dell' Ist. di Nap. lib. VI T. IV. pag. 591. e 613.*
(3) Summonte, *op. cit. T. V. lib. VII. pag. 82, ec.* aliosque.
(4) V. Poëm. *lib. III. pag. 66. et seqq.*

truisque continuatis prope funeribus adiecit... Quin ut orbitatem solatus fortunae minas elevarem, Demetrii soceri filios pro meis educabam (1). Quod sane nisi Mediolani, nusquam alibi fieri potuit. Unus vero saltem quum Mediolano excessit superetat, novimusque secum incolumem Consentiam perduxisse. In vivis quoque adhuc erat quum ipse in balneis Lysaniae moraretur; et paullo ante de eo haec ad Caesarium scripserat. *Opto cognomen filiolum non tam faciles in aegritudine Deos experiri precibus omnium nostrum faticatos, quam nos experti sumus in vita* (2). Erat sane iam grandiusculus insignesque in literis progressus fecerat. Extat ineditum epigramma ad Parrhasiolum, testis ingenii et aetatis eius. Ipse loquitur.

Qui Graecas artes didicit, docuitque Latinas,
Me pater ingenuit sidere propitio.
Me tulit et Mater, quae nescit cedere cuiquam
Moribus, haec Graeci filia mente sapit.
Si mea maturum me sors perducit in aevum,
Nec saeva feriet stamina Parca manu,
Credite, maiores fructus genitrice parabo,
Maiores etiam quam pater ipse dedit.
Ergo tuum est orare Deos qui discere quaeris,
Aetatem praestent ut mihi Nestoream (3).

Nec defuit aliud Parrhasio malum. Nam quum regressus Petramala Consentiam esset (1514.), incestam domum repperit, remque familiarem tam tenuem, ut nec exsecrationum sumtui suppeteret (4). Quamobrem ad Basilium suum scribens Romam: *Accessit hoc, etiam*, ait, *meis aerumnis, ut opes*

---

(1) V. *Orat. ante praelect. in epist. Cic. ad Att.* pag. 242. *De Rebus per epist. Quaesit.* ed. Neap. 1771.
(2) V. Parrhas. *Epist. MSS.*
(3) Vid. Gud. *Epist.* XLIV.
(4) Quum haec scriberet Patruus noster, istud epigramma inter inedita Regalis Bibliothecae Latinae MSS. adservabatur: verum paucis post annis cum nonnullis aliis poëmatiis pariter ineditis, Cl. Andresii cura in lucem prodiit hoc titulo: *Anecdota Graeca et Latina* etc. et ad calcem huius operis exscriptum legitur.

ne tantae saltem sint, *quae possint impendia sustinere... Vide propterea*, *ut quam minimum poteris impendas* (1).

§. XXXV. Pontificatu autem Maximo potitus iam fuerat Leo X. Medices, praecipuasque inter curas muneris summi bona studia iuvare fovere evehere constituerat (2). Erat is quidem Laurentii filius, Cosmique Nepos, quorum tanta in literas extant merita, ut qui ea aetate conferri cum iis possit, invenies profecto neminem (3). Quamobrem vix insignis poëta est, qui in laudibus praesertim illius plurimus non fuisset. Ipse porro tam praeclara exempla contuens, mature plurimam literis dederat operam, et quo adversa fortuna passa est, ut potuit iuverat (4). Verum summa potestate adepta, et vetera et recentia exempla longo antecedere intervallo tam praeclara in re summa ope contendit. Quamobrem sedulo cumprimis incubuit, ut viri omnino praestantissimi, et quotquot maxima florerent literarum laude Romam accerserentur (5). Quapropter agitatum illico est de Parrhasio advocando consilium. Iamdiu quidem agitatum fuerat a Julio secundo, Thoma Phaedro amicissimo viro auctore. Verum clari animi Pontificem, et ingentia negotia molientem prius oppressit mors (Febr. 1513.), quam de eo arcescendo propositum confecisset. Illud vero Leo Decimus perfecit, qui iampridem qui quantusque Parrhasius esset noverat; dato enim ad eum diplomate deinceps: *Ipsi nos etiam*, ait, *antea in minoribus constituti intelleximus te egregie iis dotibus ornatum*, *quae ad bonos et doctos viros efficiendos accommodata sunt* (6). Iuvarunt autem magnopere Pontificis consilium Janus Lascaris ab ipso Leone accitus, Graecorum tum omnium

---

(1) V. Gud. Epist. XLIV.

(2) V. Tirab. *Storia della Letterat. Ital.* T. VII. P. I. — Corniani, *Secoli della Letter. Ital.* — Paul. Jov. *Vit. Leon. X.* — Roscoe, *Vita di Leone X. T. I e II.*

(3) V. Eosd. modo cit. aliosque.

(4) V. Tirab. op. cit. ibi. — Eosdem modo citatos.

(5) V. Tirab. ibi. — Philipp. Briet. *Annal. Mundi*, T. VII. pag. 130 et alibi. ed. Venet. 1692. — Jov. *Vit. Leonis X.* — Roscoe, *Vita* cit.

(6) V. Chioccarell. *De illustr. Script. Neapolit.* T. I. pag. 232.

eruditissimus (1), qui Parrhasium diligebat; Thomas Phaedrus veterum amicorum exemplar (2), Franciscus Pyrrhinus a Citrario Pontificis familiaris, a secretis Julii Medices, multa apud Pontificem gratia pollens. Vir sane doctus et integer, multorumque clarorum virorum elogiis exornatus, qui Janum civem suum maximi habebat (3). Tum Basilius Chalcondyles quo in graecis praeceptore ipse Pontifex utebatur. Quumque professorum illa tabula, sive *Rotulus* celeberrimus conficeretur, hi curarunt, ut praecipuus Parrhasio locus, honestiusque ceteris stipendium constitueretur; et quod maximum, ut Pontifex honestissimo diplomate ad Urbanam Cathedram advocaret (4). Ita sane ad Parrhasium Basilius (Prid. Cal. Sept. 1514): *Contigit tibi*, ait, *quod nemini hactenus hac in Urbe eiusdem, cuius tu, professionis. Libellus nominum, quem vulgo nominant rotulum, qui singulis annis instauratur, nuper fac-*

---

(1) V. Tirab. op. cit. T. VII. P. II. pag. 420. aliosque.
(2) V. §. XII. huius Comment. pag. 32 not. (7).
(3) V. Gud. ep. XLVIII.
(4) Diploma istud, quo Janus a Leone Pontifice ad eloquentiae Cathedram in Romano Gymnasio advocabatur, inter litteras quas Bembus Pontificis nomine scripsit, reperitur. Legitur quoque ap. Chioccarellium pag. 232, apud Zavarronium pag. 65, apud Spiritum, pag. 25, et nonnullos alios, qui Jani merita celebrarunt. Verum quo magis pateat tum maximi Leonis in viros litteratos studium et benevolentia, cum Parrhasii gloria litteraria, heic excribendum curavimus. *Leo PP. X. Dilecte fili salutem et Apostolicam benedictionem. Cupientes ut Romanum Gymnasium optimis doctoribus abundet, quo ii qui se bonis artibus dediderunt ea ex re percipere fructus uberiores possint; de tua in studiis mitioribus doctrina certiores facti, ad ea docenda, profitendaque Romae publice Te eligimus; statuimusque ut singulis annis ducentos aureos haberes. Quamobrem hortamur Te, ut ad Urbem quam primum Te conferas: libenti enim et paterno animo Te videbimus. Dat. Romae apud S. Petrum, sub. annulo Piscatoris. Die XXVIII. Septembris. P. A. II. — P. Bembus.* — Chioccarellius autem et Toppius testantur, inter epistolas MSS. Jani, quae cum reliquis eius operibus Antonio Seripando pervenerunt ex testamento, et istud diploma extitisse, atque se ex iisdem excripsisse. Utrum extet adhuc nos omnino praeterit.

tus est coram Pontifice, *ut assolet praesente et patrono et fautore nostro Jano Lascaris*, *una cum paucis aliis ad quos res pertinet. Ibi tu in primis adscriptus es cum salario ducentorum aureorum. Aliud insuper excogitavimus*, *ut maiori cum gloria et honore Romam peteres. Ecce curavimus tibi literas a Summo Pontifice*, *quas a brevitate*, *ut puto*, *Breves nuncupant*, *quibus ad honestum locum vocaris* (1). Quamobrem et Lascaris, et Phaedrus, et Citrarius et Chalcondyles, quisque epistola sua, et desiderium et sollicitudinem de se suam ostendere Parrhasio studuerunt. Is quidem ad Thamisium Mercatorem: *Iterum certiorem te faciam*, ait, *perlatas ad me literas ex Basilio uxoris meae fratre*, *Joanneque Lascari illo Graecorum omnium nostri temporis eruditissimo*, *qui gratia auctoritateque plurima valet apud Pontificem*, *Phaedroque et Citrario*, *quibus accersor ad Urbanam profectionem*; *nec videor in Brutiis diutius fore*, *quam quod confirmem et viaticum parem* (2). Sollicitabat quidem maxime Basilius suus, praesertim quia maximum de se desiderium totam per Urbem excitatum fuisset. *Nihil iam restat*, ait, *confecto omni negotio*, *nisi ut tu venias*, *et tui expectationem*, *quae magna est*, *rumoremque iam disseminatum per Urbem de tua doctrina atque eloquentia reipsa non solum confirmes*, *sed et augeas... Abrumpendae tibi sunt omnes tricae.... Ingens est tui expectatio*, *fama*, *ac denique desiderium* (3). Profectus est ergo Parrhasius Romam cum libris et Commentariis suis (4), atque ad principem Oratoriae Cathedram, quam diu Antonius Flaminius honestaverat, evectus est. Inauguralem de more Orationem habuit, cui amplissimi Patres, et undecumque viri doctissimi magna frequentia adfuere. Laudavit pro dignitate Pontificem, Lascarim, Phaedrum et insigniores Rhetores, qui eum in munere ea in Urbe vel praecesserant, vel socii et comites

---

(1) V. Gud. *Epist.* XLIX.
(2) V. Parrhas. *Epist. MSS.*
(3) V. Gud. *Epist.* cit.
(4) V. Joseph. Caraf. *De Gymnasio Romano* pag. 307. — Spera *De nobilit. profess. Grammat.* — Pier. Valerian. *De infelicit. litterat.* lib. I. — A veritate ergo abeant oportet, qui cum Spera recto tramite Mediolano Romam transiisse Janum adfirmant.

erant. Tum *hoc esse pulpitum*, addidit, *quo Antonius Flaminius olim insidebat, quum Romanam iuventutem classico suae vocis instituens, Hebraice, Graeceque, Latineque disputaret* (1).

§. XXXVI. Adgressus porro Statianas Sylvas, tanta rerum verborumque copia, tanta vocis suavitate exposuit, ut veterum recentiorumque Rhetorum famam, totamque de se conceptam expectationem superaret (2). Neque auditorum frequentia, qua maxime, ut meminimus, Mediolani floruit, cum Romana celebritate, qua quotidie versabatur, comparari potest. Pierius Valerianus amicus et familiaris Parrhasii, de eo loquens: *Professus est etiam apud nos* (Romae), ait, *Janus Parrhasius, ad cuius iucundam vocem undique concurrebatur* (3). Lucas Gauricus noster familiaris quoque Jani, in eius horoscopo: *Parrhasius*, ait, *facundissimus Orator et Poëta celeberrimus . . . . in literis tum Graecis, tum Latinis eminentissimus, tempore felicissimo Leonis X. in scholis publice profitebatur cum eleganti facundia Sylvas Statii, ad quem confluebat maxima auditorum caterva* (4). Nicolaus Salernus poëta eruditissimus Academiam Romanam ita canentem inducit.

Nuper et Italicis sublimior una Cathedris
Certabam. Quoties dixi: mihi Martia talem
Nunquam Roma dedit, nec vidi tempore ab illo,
Quo gravis ad summum venit facundia culmen.

---

(1) V. *MSS. Lat.* Reg. Bibl. Borb.

(2) Nicolaus Salernus Consentinus in longo illo in Jani obitu epicedio ita hac de re cecinit:

Cuserat in Sylvis, quae si vulgasset et essent
In manibus vulgi, non torquerentur ut alti
Suspensi iuvenes irent in sensa poëtae.
Omnia plana forent Jano dictante perito:
Et nunc a laetis gauderet Statius arvis,
Si duce Parrhasio non erraretur opacis
In Sylvis, quas ipse furens effuderat aestro
Percitus Aonio, veluti Cumaea Sacerdos
Fata canens agitante Deo, cum congerit ore
Qualiacumque ruens animis obiecit Apollo.

(3) V. *De infelicit.* etc. lib. I. pag. 24.

(4) V. *Isagogic.* Tract. IV. pag. 1635. T. II. op.

Tantus ad hunc unum coetus, populusque coibat,
Ut vix ampla domus, vix et subsellia tantis
Sufficerent turbis. Vidi, vidi ipsa coactum
Ante fores agmen, nec caeperat area plebem.
Non secus ad Janum iuvenum fluxere catervae,
Quam gratam ad vocem vatis properasse feruntur
Romulidae Ogygias cecinit qui carmine Thebas.
Sic hominum eloquio durissima pectora Janus
Movit, ut Amphion rigidos testudine montes,
Utque feras fidibus lustris, et robora sylvis
Bistonius Lyricen. Stupui miranda canentem,
Altaque, et humano, dixi, maiora reorque
Ingenio: credas Delphis oracula, Phoebum,
Aut Dodonaeas ornos, quercusque loquutas (1).

Breviora quidem, at maiora fortasse cecinit Antonius Thylesius, vir sane non modo amoenioribus in studiis eminentissimus, sed gravis plurimaeque auctoritatis.

Tibris et obstupuit doctae modulamine vocis,
Assonuit rivis haec quoque Tibri tuis.
Fassus et huic uni es veteres cessisse Quirites;
Tam Latiis sonat hic dulce magis Latium.
Attice et Actaea magis Urbe loquutus et ipsa est,
Hospes divino dictus ab eloquio.

Neque praeterea Paullus Jovius (2), Onuphrius Panvinius (3), Mutius Pansa, Philippus Brietius (4), qui de Gymnasio Romano Leone Pontifice loquuti sunt, quasi unus Parrhasius bonas literas profiteretur, alterius usquam meminerunt. Quae sane eo in maiorem Jani laudem cedunt, quo eminentiores et plures Rhetores eadem in Academia Latina studia profiterentur. Quis nescit qui quantique fuerint Thomas Phaedrus (5),

---

(1) V. Salern. *Sylv. epic.* etc. pag. 140, et seqq. ed. Neap. 1536.
(2) V. *Vit. Leonis X.* et *Elog. Vir. litt. illustr.* pag. 208.
(3) V. *Proëm. Decl. I. De applausu erudit.* etc.
(4) V. *Annales mundi*, T. VII. pag. 130.
(5) V. §. XII. huius Comment. pag. 32. not. (6) — Gaet. Marini, *Lett. a Monsig. Muti Papazz. sul Ruolo de' Profess. del Ginn. Rom.* pag. 53.

Philippus Beroaldus iunior (1), Joannes Baptista Pius (2), Raphaël Brandolinus Lippus (3), Antonius Faber Amiterninus (4), Julianus Camers (5), Joannes Baptista Casalius (6), Aegidius Gallus (7), Vincentius Pimpinellus (8), Decius Sylla-

---

(1) V. Tirab. *Stor.* ec. T. VII. P. III. pag. 203, e 361. — Mazzucchelli, *Scritt. Ital.* T. II. P. II. pag. 1017. — Carafa, op. cit. lib. I. pag. 84. lib. II. pag. 308. et alibi. — Fantuzzi, *Notizie degli Scritt. Bologn.* T. II. pag. 136, e segg. — Marini, *Lett.* cit. pag. 54. — Franciscus Arsillus tandem, qui docto ac prolixo carmine Poëtas Romae degentes celebrandos suscepit, hoc in Beroaldi laudem tetrastichon effudit:

Dum recinent volucres, dum tundent littora fluctus,
Implumes foetus dum feret unda maris,
Huic aderis semper mollis Beroalde trophaeo,
Blanda Venusinae cui favet aura lyrae.

(2) V. §. XIII. eiusd. Comment. pag. 36. not. (5). — Fantuzz. op. cit. T. VII. pag. 31, e segg. — Marini, *Lett.* cit. pag. 56.

(3) V. Tirab. op. cit. T. VI. P. II. pag. 270, et alibi. — Marini, op. cit. pag. 56. — Ab Arsillo hoc celebratur hexastico:

Lippus adest caro natali sidere mancus
Lumine, sed docto carmen ab ore movens.
Delius huic lucis dedit haec solatio ademptae,
Ne misera ex omni sors sua parte foret.
Nam subito revocat blanda in certamina divos,
Dum movit Ausoniam dulcius arte Chelyn.

(4) V. §. XII. eiusd. Comment. pag. 34. not. (1) — Marini, *Lett.* cit. pag. 58.

(5) V. Valer. *De infelicit.* etc. — Marini, ibid. pag. 57.

(6) V. Tirab. op. cit. pag. 203. — Marini, ibi pag. 59, e segg. — In eum quoque en eiusdem Arsilli disticon:

Suggerit assidue nomen tibi grande Casali
Melpomene aeternae posteritatis opus.

(7) Tirab. T. cit. pag. 201. — Marini, ibid. pag. 68. — Ab Arsillo inter poëtas Comicos hoc disticho adscribitur; scilicet:

Galle tuae passim resonant per compita laudes,
Scena graves numeros te recitante probat.

(8) Tirab. T. cit. pag. 203. — Marini, ibid. pag. 66. — Ab eodem Arsillo hoc exornatur brevi epigrammate Pimpinellus:

Frontibus Aoniis, te Pimpinelle, decorum
Vidimus, et meritis laurea serta comis.

nus (1), Camillus Portius (2), Joannes-Maria Cattaneus (3), Michaël Venturus Fulginas (4) aliique. Et hi quidem omnes Oratoriam ceteraque Latina studia maximo plausu profitebantur. Hinc factum est ut plerique ex tam praeclara Urbe diligerent, iuvarent, colerent, admirarentur. Ipse sane Pontifex magni eum faciebat, deque eo praeclare omnino sentiebat. Complectebatur porro eum amicissime Julius Medices Leonis Patruus, Cardinalis amplissimus, alterque a Pontifice; familiariter eo utebatur in studiis Hebraice Graece Latineque doctissimus Hadrianus Cardinalis, ad quem duae de Spartiani

---

(1) V. Marini, pag. 66. — Inter poëtas habitum fuisse, ex hoc Arsilli disticho colligi potest:

Fulminea est adeo lingua Syllanus, ut illi
Aonium facili murmure flumen eat.

(2) Camillus iste Portius, patria genteque Romanus, ab illo utique distinguendus est Camillo Portio Neapolitano, qui eam exaravit historiolam, cui titulus: *Congiura de Baroni* ec. Ille enim idem ipse est, quem Caietanus Marinius *Porcarium et Portium* dictum fuisse refert (V. *Lett.* cit. pag. 67.), cuius quoque immatura funera deflet Valerianus (V. *De infelicit*, pag. 11). De eo denique, praeter ceteros, meminit Lil. Greg. Gyrald. in *Dial. I. de Poëtis sui temp.* et Arsillus qui ipsum hoc exornavit tetrasticho.

Vivet in aeternum facunda Musa Camilli,
Quem peperit genitrix Portia stirpis honor.
Certat Romano tua pagina culta Tibullo,
Laurea nunc culti carminis ambigua est.

(3) V. §. XIII. eiusd. Comment. pag. 38. not. (2). — Marini, ibi. pag. 68.

(4) De Michaële Venturo utpote Romani Gymnasii professore agit Marinus in op. saepe saepius cit. pag. 69: Arsillus autem ut poëtam διδακτικόν ipsum celebrat sequenti epigrammate.

Infantem quae cura regat, quis cultus habendo
Sit puero, et iuveni qualia, quidve seni;
Optimus ut queat hic Civis sine fraude iocari,
Jureque cui res sit publica danda viro,
Tempora qui placidae pacis sine fraude gubernet,
Nec timeat mortem cum fera bella premunt,
Fulginas Venturus agit, praeceptaque in unum
Colligit, et multo carmine promit opus.

emendatione demissae epistolae extant (1). Suscipiebat porro eum ut civem atque amicum Aloysius Cardinalis Aragonius, de quo semper Parrhasius magno loquitur cum affectu (2). Diligebat eum Michaël Sylvius Lusitanus, et ipse deinceps Cardinalis amplissimus, doctus vir et poëta clarissimus (3). Exceptisque eiusdem muneris sociis, Grammaticis, poëtis, studiose eum colebat suavissimus ille amicorum Antonius Seripandus magister epistolarum Cardinalis Aragonii, post obitum Francisci Puccii praeceptoris sui (4).

XXXVII. Attamen heic quoque adversa illa fata sua eum manserunt. Praeterquam quod diro morbo suo plerumque adflictatus est, virtutis doctrinaeque comes invidia statim accessit malo. Primum enim socii obstrepere in eum, ipsumque in Pontificem obmurmurare coeperunt, quod honestiori stipendio donatus fuisset (5). Et tum grammaticae Iuliani Camertis irae accesserunt. Is enim quum nonnullis Parrhasii in Papinium praelectionibus adfuisset, notatis quibusdam, palam, de more, improbavit, plurimumque rumorem de hisce recul. is per Academiam excitavit (6). Haud sibi Parrhasius defuit, ut par erat; verum eo modo fecit, eaque comitate, ut quum res ad Pontificem delata fuisset, is qui Parrhasium quantus esset noverat, eum pro dignitate commendavit. Ipse quidem Janus aliquando post ad discipulos: *Neminem vestrum latet, auditores, ait, ornatissimi, quantas invidiae procellas anno superiori* (1515.) *sola patientia perfregerim, quamquam lenti malique de me sentiendi opinionem subire maluerim. Huius meae lenitatis uberimo fructu percepto Leonis X.* etc. (7). Et ad haec quidem spectasse videtur Arsillus venusto illo in Parrhasium epigrammate. Ait enim:

---

(1) V. *De rebus per Epist. quaesitis*, pag. 227, 230. etc.
(2) V. *Orat. ante praelect. in epist. Cic., ad Att.* et MSS.
(3) V. Lil. Greg. Gyrald. *Dial.* cit.
(4) V. *Orat. ante praelect. in Epist. Cic. ad Att.* et reliqua Parrhasii MSS. — Petr. Summont. op. — D' Engenio, Nap. *Sacra.*
(5) V. Parrhas. *praefat. in Sylv. Stat.* inter MSS. Lat. Reg. Bibl.
(6) V. Parrhas. ibid.
(7) Loc. cit.

Sospite Parrhasio, Romana Academia opacis
Occultum in tenebris nil sinit esse diu.
Hunc circum Urbanus latrando livor oberrat,
Et fessa externam voce reposcit opem.
Ille velut Danae turri munitus ahena,
Ridenti imbelles despicit ore minas (1).

Verum haec mala maiorum calamitatum veluti praeludia fuere. Nondum biennium elapsum erat ex quo Romam concesserat, quum frater uxoris suae optimus Basilius, ingentis prorsus spei iuvenis, ipso in flore aetatis immatura morte praereptus est (2); eaque iactura et affinem, et discipulum, et familiarem, et veluti filium amisit (3). Neque mora ruinae. Paucorum enim tantum dierum intervallo ipse Thomas Phaedrus miserabili fato extinctus est (4), qui eum complectebatur, fovebat iuvabat (5). Quo damno tam acerbe affectus est, ut omnia studia sua abiicere in animo institueret: *Quod equidem iam fecissem*, ipsemet ait, *nisi intercessisset Antonius Seripandus, in illa doctissima nostra Neapoli summo loco natus, alumnusque Musarum de nobis optime meritus* (6). Quamobrem resumto munere, quum ad Epistolas Ciceronis ad Atticum; quas tum primum adgrediebatur, praeloqueretur, defunctos viros veluti funebri oratione est prosequutus, atque tristi memoriae acerbam ceterarum calamitatum suarum recordationem praemisit (7). Verum nec eo luctu ullus perniciei modus impositus est. Nam uno alterove mense elapso,

---

(1) V. Tirab. *Storia* ec. T. VII. P. III. pag. 473.

(2) Favet Patrui nostri opinioni eruditissimus Caietanus Marinius, qui Basilium Chalcondylem Romae obiisse putat anno Salutis 1516 (V. *Lett.* cit. pag. 72. not. (80). — Falluntur ergo Angelus Spera, Joseph Carafa aliique, qui eum sub initiis Pontificatus Leonis extinctum referunt.

(3) V. Parrh. *Orat. ante praelect. in epist. Cic. ad Att.* pag. 244. *De reb.* etc. ed. Neap.

(4) V. Valerian. *De infelicit. litterat.* lib. I. pag. 24, etc.

(5) V. Parrhas. ubi supra.

(6) Ibid.

(7) Ibid.—Supine ergo auctor Biograph. Univers. Vol. XLII. pag. 464. ait, Janum Romae primum illustrasse Epist. Ciceronis ad Atticum, quum iam probatum sit Statianas Sylvas ab eo primum interpretatas, et hoc anno Epist. Ciceronis.

et Parrhasius et Theodora uxor ardenti febre correpti vita diu laborarunt. Cuius rei meminit famosus ille Astrologus Lucas Gauricus, et Parrhasius, ipse oratione ad discipulos, qua maximas eis agit gratias, quod sollicitudine et sedulitate plurima aegro adfuerint (1). Haec Gauricus: *A Natalicio Servatoris* 1516 *Octobri mense laborarit in extremis, uti colligebatur ex lunae deliquio sub nona Leonis parte* (2). Parrhasius vero et Gaurici et Oroscopi sui meminit. Nam ut infatuata illa aetas erat deliriis Astrologiae, obtruderat Parrhasio Astrologus conceptum fuisse pestifera vi Lunae ecclipseos, neque amotum malum, nisi benignum Jovis sidus intercessisset (3). Resumtis autem aliquo modo viribus, in sua studia alacrior incubuit, et Epistolas Ciceronis ad Atticum et diligenter emendare, et uberrimis commentariis illustrare perrexit (4). Tum Ciceronis Paradoxa (5). Tum Horatii Poëticen (6), tum Nasonis Ibin incredibili sedulitate interpretatus est (7).

---

(1) V. Parrhas. MSS. cit.

(2) V. Luc. Gaur. *Isag. Tract. IV.* pag. 1635. T. II. Op.

(3) V. Parrhas. *Praefat. in epist. Cic. ad Att.* inter MSS. cit.

(4) V. Parrhas. MSS. cit.

(5) V. Parrhas. *Praef. in Cic. Paradoxa* inter MSS. cit.

(6) Id evidentissime colligitur ex his ipsius Jani verbis ad illud Horatii:

Seu cursum mutavit iniquum frugibus amnis.

Ait enim: *Augustus Tiberim, dato Agrippae negotio, in hunc quem cernimus rectum alveum redegit.* Quae sane verba nonnisi rem praesentem, et quae actu oculis intuentium obversatur significant.

(7) V. MSS. cit. — Si fidem Paullo Jovio utique, ut par esset, adiungimus, Parrhasius edidit quoque Romae perpetuos in Nasonis Ibin Commentarios. In id quoque descendunt Barrius (*De Sit.* etc. lib. II. Cap. VIII.), Angelus Spera (*De nobilit. profess.* lib. IV. pag. 451.), Gaddius (*De scriptor. non Ecclesiast.* T. II.), Joannes Matthaeus Toscanus (*Pepl. Ital.* lib. III. pag. 63, et seq.), aliique quamplurimi. Favet etiam eidem sententiae Quattrimanus, quamvis vero *annotationes potius in Nasonis Ibin* (Sertorii verba sunt), *quam commentarios* edidisse putet Parrhasium (V. *Animadvers.* in Barr. loc. cit.). Verum constanti tot tantorumque scriptorum testimonio unus Petrus Bayle

§. XXXVIII. Tulliana emendatione confecta, Pontifici maximo, cuius auspiciis adgressus fuerat opus, eam Parrhasius consecravit. Quamobrem hoc pacto cecinit Salernus:

Divini purgavit opus Ciceronis inustum
Ac foedum mendis, quod non cognosceret auctor
Facundus Stygiis si nunc remearet ab undis:
Quo doctus legitur, quo vivit in ore virorum
Atticus, et numeris obscurius ipse Platonis,
Clarius Eois radiis Hyperionis unus
Effecit nuper, functusque labore, Leoni
Auspiciis cuius susceperat ante, dicavit (1).

Parrhasii vigilias et industriam magnopere probavit Leo; et quo erudito Rhetori redderet gratiam, inter familiares suos, perpetuosque convivas hoc diplomate vere egregio adnumeravit. *Dilecto filio Joanni Parrhasio familiari Nostro. Dilecte fili, Salutem et Apostolicam benedictionem. Jam inde a principio nostrae ad summum Apostolatus apicem, Divina favente clementia, adsumtionis, pro Nostra singulari erga almam Urbem Nostram benevolentia et paterno affectu, de rebus ad eam spectantibus praecipuam suscepimus curam, et ad ipsius Urbis literariam Universitatem illustrandam insignes doctrinae viros, virtute atque integritate praeditos undique conquireremus. Cumque ipsi etiam antea in minoribus constituti intellexerimus te egregiis dotibus ornatum, quae ad bonos et doctos viros efficiendos accommodatae sunt, te ad id una cum nonnullis aliis viris excellentibus vocavimus, locumque congruum cum honesto stipendio in ipsius Urbis gymnasio assignavimus. Verum ut pro doctrina qua liberalissime praeditus es, et ingenio quo mirifice praestas et aliud a nobis erga te paternae Nostrae caritatis et benevolentiae indicium extet, idoneusque*

---

adversatur; qui (V. *Dictionn.* etc. T. III. pag. 599, not. (D).) pluribus conatur ostendere, nullos umquam a Nostro editos in Ibin commentarios; et quo suam magis fulciat sententiam, ad Nicodemi auctoritatem confugit (V. *Addiz. alla Bibl. Napol. del Toppi*, pag. 87.), quae tamen nullo suffulta doctorum hominum testimonio, haud tanti facienda videtur, ut prae illa Jovii, Sperae, Toscani, ceterorumque complecti, atque unice tueri mereatur.

(1) V. Salern. *Sylv. epic. etc.* pag. 140, et seqq.

pro tuae virtutis et dignitate et praestantia honos habeatur, Te in Nostrum familiarem, continuum commensalem harum serie recipimus, et aliorum commensalium numero adgregamus. Datum die 29 *Aprilis* 1518 (1). Quamobrem et celeberrimis illis epulis, quibus interdum ipse Pontifex aderat, interfuisse aliquando Parrhasium credendum est, quum scilicet per dirissimum morbum liceret, a quo in dies saeviori modo excruciabatur. Neque praetereundum est probabile quoque videri, per haec tempora adfuisse quoque literariis illis societatibus, quae apud Jacobum Sadoletum, Angelum Colotium, aliosque per Urbem agebantur (2). Etenim Famianus Strada vir doctissimus, et cui facile credas, Alexandrum Burgium, qui haec ipsa tempora attigerat, disserentem inducit in hunc modum. *Florebant ea tempestate Romae coetus excellentium virorum, qui statis diebus conferre capta, deque re litteraria verba facere consueverunt. Quem veterem Academicorum morem Romae repetierunt Theodorus Gaza, Flavius Blondus, Platina, Campanus aliique literarum proceres, qui apud Bessarionem virum sanctimonia aeque ac literis memorabilem conventus habebant. Quos excepere non multo post Hercules Strozza, Naugerius, Bembus, Parrhasius, Sadoletus, Castelioneus, Jovinianus, eiusque notae complures, quibus interdum coactis Leo ipse Princeps interfuisse dicitur* (3). Et quamvis fabulosa sit scena, neque commode personis istis divisa, temere omnino quis coetus istos conventusque negaverit? Ita enim Sadoletus paullo post Parrhasii aetatem ad Colotium scribebat: *Ac mihi recordanti spatium praeteriti temporis et vetera animo repetenti, quum et plures convenire soliti eramus una, et erat aetas nostra ad omnem alacritatem animique hilaritatem longe aptior. Quoties venire in mentem putas eorum coetuum conviviorumque, quae inter nos crebro habere solebamus? Quum aut in hortis tuis suburbanis, aut in meis Quirinalibus, aut in Circo Maximo, aut in Tiberis ripa; alius autem aliis in Urbis locis conventus agebatur doctissimorum*

---

(1) V. Chioccarell. *De illustr Script. Neap.* pag. 232. T. I.
(2) V. Tirab. *Storia* ec. T. VII. P. III. pag. 204. ec.
(3) V. *Prolus. Accad.*

virorum (1). Fateor equidem inter plerosque viros eruditos, quos Sadoletus recenset, Parrhasium praetergressum esse. Verum id fieri potuit tum quod recentiorum meminerit Sadoletus, eorumque qui vivebant adhuc, vel cum quibus vixerat familiarissime; tum quod Parrhasius adesse aliquando conventibus potuit, frequens autem et adsiduus interesse per morbum non potuit.

§. XXXIX. Quartus autem annus, ex quo Romam Parrhasius concessarat, vix elapsus fuerat, quum ita a morbo confectus iaceret, ut vix viro ipsa forma superesset. *Iam me non eumdem*, ad auditores querebatur, *sed umbram et nomen Parrhasii relictum videtis. Vires corporis effractae, sensus oculorum atque aurium hebetes, memoria labat, vigor animi obtutus. Quid huc affero, decorem formae an dignitatem corporis? Animi virtutem an vocis iucundae sonum? certe nihil horum* (2). Quamombrem quum ferendo oneri impar esset, per Michaëlem Sylvium suum apud Pontificem egit, quo vacationem a munere obtineret. Non abnuit Pontifex, voluit vero ut ad alium saltem annum profiteretur. *Sed quia*, addit Parrhasius, *Sacrosancto Pontifici Maximo, cuius in manum sunt omnia, placuit hunc item annum laboribus nostris addere, parendum duximus eius imperio* (3). Qui annus videtur fuisse 1519; nam nonnulli Commentarii Parrhasii eum in fronte praescriptum habent (4). Elapso anno, missionem illam tandem per Sylvium impetravit, sibi 20 Ducatis aureis in mensem adsignatis: hoc est

---

(1) V. Sadol. *Epist. famil.* — Tirab. op. cit.

(2) V. Parrhas. *Praelect. ad MSS. Epist. Cic. ad Att.* — Usurpat heic Noster verba D. Laberii equitis Romani asperae, ut Macrobius ait, libertatis, qui a Caesare quingentis millibus invitatus, et quodammodo blandiloquenti eius oratione coactus in scenam prodire acturus Mimos, quos ipse Laberius scriptitabat; in fabulae prologo de se iam sene ita loquutus est:

— *Quid ad scenam affero?*
Decorem formae, an dignitatem corporis?
Animi virtutem, an vocis iucundae sonum?

Vid. Macrob. Saturn. lib. II. Cap. VII.

(3) V. *Praelect.* cit. *in Epist. Cic. ad Att.*

(4) V. MSS. Lat. modo cit.

diploma. *Leo PP. X. — Motu proprio etc. Dilecto filio Jano Parrhasio Nobili Cusentino , in Gymnasio Romano professori salutem etc. Virtus tua et utriusque linguae eximia scientia, fidesque sincera , quam ad nos, et sedem apostolicam geris , tuaque incurabilis valetudo nos inducunt, ut te specialibus gratiis et favoribus prosequamur , eaque tibi libenter et sponte concedamus, quae tibi statuique tuo opportuna et commoda esse dignoscimus. Idcirco tibi provvisionem viginti Ducat. auri de Camera de pecuniis et introitibus aluminnum* (sic) *Sanctae Cruciatae ad vitam tuam singulis quibusque mensibus persolvendam, et, te defuncto, dilectae in Christo filiae Theodorae Chalcondili , Demetrii Chalcondilis Filiae , uxori tuae decem Ducat. similium ad vitam utriusque vestrum quolibet mense pereolvendam motu simili concedimus et elargimur , mandantes propterea Ven. Frati nostro Episcopo Ostiensi, Cardinali S. Georgii , Camerario nostro ac Thesaurario , Praesidentibus et Clericis Camerae , ceterisque ad quos spectat ut tibi scripturas et mandata ad hoc necessaria expediant , et expediri faciant , similiterque et Augustino Chisio dictarum pecuniarum Depositario mandantes, ut de dictis introitibus et pecuniis tibi de dicta provisione , ut praemittitur , satisfaciat et satisfieri curet. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. — Placet, et ita motu proprio mandamus. — I.* (1). Verum quum morbo confectus, inops et malaferiatus advena externam in civitatem moraretur , sese recipere ad suos in animum instituit. Valerianus quidem familiaris eius : *Is,* scribit , *quum assiduis vigiliis et longae lectionis laboribus maceratur , in eam incidit articularis morbi truculentiam , ut per annos aliquot nil praeter linguam in universo corpore haberet incolume : siderato propemodum utroque crure , ut nullis pedum officiis uti possit , lacertisque prae dolore et contractione redditis inutilibus, magna insuper inopia atque egestate oppressus, rerum omnium desperatione ductus, relicta Roma, in Calabriam* reverti maluit (2). Quae Valeriani de Jani ege-

---

(1) V. Gaet. Marini , *Lett. A Monsig. Muti Papazzurri* , *sul primo Ruolo de' Profess. del Ginn. Rom.* pag. 114. N. XXIII. ed. Roma , 1797.

(2) V. *De Infelic. litterat.* pag. 24.

state verba et nimis invidiosa, et a veritate remota a nonnullis viris doctis putantur, a March. nempe Spiriti (1), a doctissimo Caietano Marino (2), Renazzio (3), aliisque. Ea enim a Leone vitae commoda Parrhasio constituta sunt, ut quam laute quoque vivere potuisse videtur. Verum si rem acutius perspiciamus, deprehendemus haud aequum esse a fide coaevi et familiaris viri recedere. Etenim Parrhasius ipse ad amicum suum scribens, eo diplomate recepto, ait fortunam suam esse extreme miseram, et quae *vel glebam* sit acceptura (4). Praeteritis autem temporibus a Phaedro, a Cardinale Aragonio, ab Adriano Cardinali aliisque fotus sublevatus adiutus fuerat (5). Neque id mirum ulli videri debet, si charitatem annonae, si aegri et advenae sumtus spectaverit, si parandae et curandae bibliothecae impendia animadverterit (6). Accedebat porro quod ob incredibilem praeceptorum numerum aegerrime procedebant stipendia; quamobrem illi crebro murmura et clamores per Academiam excitabant (7). Verum et alia quoque habet Zacharias Rhodiginus, qui paullo post Leonis obitum ad Garziam Carescenum Hispanum scribebat: *Sed nolo omittere id quod prae ceteris gloriosius et honorificentius existit, videlicet Gymnasii litterarii curam, quae vere maxima reparatione indiget: praeter enim quam quod et profitentium numero et indiscreto hominum delectu refertum est, stipendia adeo tenuia sunt, ut ad alimenta non sufficiant. Sed quod deterius est, ea tanta difficultate exiguntur, ut longe maior habendi salarii labor sit, quam totius annuae lectionis.* Quanto ergo maiori labore corradere poterat Parrhasius quae feriato constituta fuerant! Defuncto porro Basilio, defuncto Phaedro, defuncto Card. Aragonio, pulso ab Urbe Adriano Car-

(1) V. *Memor. degli Scritt. Cosent.* pag. 24. cc.
(2) V. *Lett. cit.* pag. 63.
(3) V. *Storia dell' Univers. degli Studi di Roma.*
(4) V. *De reb. per epist. quaesit.* pag. 142.
(5) V. *Orat. ante praelect. in epist. Cic. ad Attic.* pag. 242, et seqq. — *De infelic. Literat. lib. I.*
(6) Catalogi Reg. Bibl. Borb. MS. et ille praesertim MSS. Lat. huiusce sententiae patrui nostri veritatem arguunt. Quippe in hoc nonnulli codices describuntur, qui Jani manu notata habent in fronte ista verba — *Emptus Romae*, vel *in Urbe.*
(7) V. Renazzi, Op. cit.

dinali, quid amplius ei reliquum fuerat Romae? Quamobrem ineunte anno 1520 profectus est ex Urbe, et in Patriam festinavit: nam postremis diebus 1519. adhuc erat Romae, quum Alciatus iis temporibus ad Franciscum Calvum scribens, ait: *fac me item certiorem, quid Janus Parrhasius moliatur, an totum eum bonis studiis podagra abstulerit* (1). Tum Valerianus scribens ad eum (XIV. Kalend. Julias 1521.), plurium epistolarum ad se a Parrhasio missarum meminit (2); quod nisi per longum tempus fieri non poterat.

§. XL. Neque Parrhasio datum est in complexu suorum, malorum molem plurium annorum spatio tolerare. *Cum in Calabriam secessisset*, Valerianus ait, *in febrim subito incidit, qua diu vexatus, miserabilique eo cruciatu superatus expiravit* (3). Neque alio sane modo Jovius (4), et Gaddius (5). Extinctus enim est vel ineunte Pontificatu Adriani VI, qui salutatus est Pontifex quinto Idus Januarii 1522 (6), vel potius paullo post Leonis X. obitum. Etenim Antoninus Pontus Consentinus, antequam Hadrianus ad Urbem accederet (7), propinquos suos de viris nuper defunctis disserentes ita introducit. *Vide Philippum Gullum, Crassum quoque, et doctorum Phoenicem Parrhasium coaevos, Deo vivo . . . per florida rura, et lauri nemus melicos hymnos concinere* (8). Tum Janus Anysius quum de Hadriano et Caesare meminisset his verbis:

---

(1) Data est haec epistola Avenione XIV. Kalendas Januarias 1520. — V. Gud. *Epist. Clariss. et Doctiss. Vir.* pag. 81. et seqq.

(2) V. Epist. cit. ap. Burmann. edit. P. Virgilii Mar. T. IV.

(3) V. *De infelicit. Litterat.* lib. I. pag. 24.

(4) V. *Elog. Vir. lit. illustr.* pag. 208. edit. Basil. 1577.

(5) V. *De Script. non Ecclesiast. T. II.* pag. 182. ed. Florent. 1648.

(6) V. Ciacon. *Vit. Pontif.* T. III. col. 423.

(7) Romam ingressus est Hadrianus quinto Kalend. Septembris 1522, ut ex ipso Ciaconio colligitur. Antonini Ponti igitur opus, quod pluribus partibus constat, sex saltem ante menses elucubratum dicendum est; ac proinde mense uno fortasse a Jani funere.

(8) V. *Romitypion.* P. II. ed. Romae, mense Aug. 1524.

— Haec tua maxima cura
Tandem Hadriane; prima tua maxima cura
Sit Caesar.

subdit:

Mortem obiit Phoebi interpres, carusque sacerdos
Parrhasius, quem clara ferunt monumenta per orbem (1).

Similia quoque his habet Nicolaus Salernus. Etenim cecinit:

— Leo Pastor ovilis
Romani aethereas tandem migravit in arces . . .
Unde suum iussit propere ad meliora venire
Praemia Parrhasium, iam tum procul Urbe cubantem
Sedibus in patriis, confectum mole dolorum,
Denaque complentem Pisaeae lustra coronae (2).

Quamobrem quum Leo X extinctus esset Kal. Decembris 1521, et tum postremo decubuisset Parrhasius, haud videtur virum iam prorsus a podagra confectum, fatalique febri correptum ultra mensem vitam tolerare potuisse, praesertim quum *propere* fata Leonis secutus dicatur, et quidem iam quinquagenarius. Parrhasii ergo obitus statuendus omnino videtur vel desinente ipso anno 1521, vel incunte 1522 (3).

---

(1) V. Jan. Anys. Poëm. etc.

(2) V. Salern. op. cit.

(3) Quod ad mortem Jani nostri pertinet, vehementer sane mirati sumus, quamplurimos viros eruditissimos, puta Tiraboschium (V. *Storia* ec. T. VII. P. III. pag. 336.), Gingueneum (V. *Istoire de la litterat. Ital.* Vol. VII pag. 342.), Justinianum (V. *Memor. Stor. Critic. della R. Bibl. Borb.* pag. 46.), Xaverium Matthaeium (*Vit. Parrhas.* praepos. ed. *De Rebus.* etc. Neap. 1771.), Novi Dictionarii Historici, ac Universalis Biographiae auctores (V. *Nuovo Diz. Istor.* T. XX. pag. 174, e seg. ed. Nap. 1791. — *Biogr. Univers.* etc. T. XLII. pag. 464. ed. *Venez.* 1828.), aliosque, anno 1534 eum dixisse extinctum, supinam Marchionis Spiriti sequutos sententiam, qui Nicolaum Salernum quum deprehendisset anno 1536 edidisse epicedium, quod in Jani funere elucubraverat, ex hac editione coniecit illud poëmatium paullo ante omnino exaratum, ideoque Janum tum quoque, vel anno saltem, quem diximus, 1534 occubuisse: qua ex opinione sequeretur, necesse omnino auctoribus esse, ut scripta sua vix e calamo dimissa typis confestim edenda tradant,

haud vero, Flacci consilio, nonum premant in annum. Sed quod magis mirum, maluit Marchio Spiriti perperam profecto et inconsulte Parrhasium ex ea editione sexagenarium dicere extinctum, quum secus ex epicedio quadragenarium potius adserere, et tueri quodammodo potuisset. Et vero Salernus ait, Leonem PP. X. propere advocasse ad se in arces aethereas Parrhasium suum

— Confectum mole dolorum
Denaque complentem Pisaeae lustra coronae.

Complentem nempe decem Olympiadas; quae Historicis atque Chronologis quadrienniis absolutis quum concludantur, nonnisi annos reddunt quadraginta. (V. Scalig. *De init. Olymp.* lib. V. — Hierem. a Bennettis, *Chronol. et Crit. Hist.* etc. P. I. T. IV. Artic. I. *De variis period. et Cycl.* §. IV. pag. 9. §. XI. pag. 22. etc. — Petav. *Doct. temp.* lib. IX. Cap. XL. et alibi.) — Sed putandum non est Salernum in errorem supine delapsum suoptove ingenio id loquendi genus usurpasse. Etenim, praeterquam quod satis esset ad firmandam sententiam Patrui mei scripsisse tantum *propere* sequutum in morte Leonem Parrhasium, quo argueretur hunc anno 1521 desinente, vel 1522 ineunte, et quidem iam quinquagenarium omnino occubuisse: Olympiades quoque non historice et Chronologice, sed poëtice heic usurpantur; ideoque pari gradu cum Romano lustro procedunt, et absolutis quinquenniis determinantur. Et re quidem vera, Ovidius, quem ad verbum fere imitatus est Salernus, ita se quinquagenarium descripserat *Trist.* lib. IV. Eleg. X.

Postque meos ortus Pisaea vinctus oliva.
Abstulerat decies praemia victor equus.

Et *De Ponto*, lib. IV. Eleg. VI. *ad Brutum*, ita de exilio queritur:

In Scythia nobis quinquennis Olympias acta est;
Jam tempus lustri transit in alterius.

Nec aliter eas usurpat Martialis, quum in *Epitaphio patris Hetrusci* ita ait:

Occidit illa prior viridi fraudata iuventa:
Hic prope ter senas vidit Olympiadas.

Annum nempe fere nonagesimum; quod ex Papinio Statio quoque probatur, qui Sylv. III. lib. III. v. 146. et seq. ita de eodem Hetrusco loquitur:

Dextra bis octonis fluxerunt saecula lustris,
Atque aevi sine nube tenor.

Quippe bis octoni seu sexdecim lustri, annos reddunt octoginta; quod Martialis innuit particula *prope* adiuncta. Igitur quum

iam satis sit superque probatum Olympiades Ovidio et Martiali quinquennes tales quoque Salerno extitisse : quo Parrhasius iam quinquagenarius (ut qui natus sit V. Kalendas Januarias anni 1470. prout §. I. huius Comment. dictum est.) reapse *propere* sequatur Leonem X. extinctum Kalendis Decembris 1521 , ut historice constat, vel eodem mense et anno desinente fato suo functus dicendus et ipse est , vel sequenti ineunte, ut Patruus probavit.

PARS SECUNDA.

De doctrina, meritis et Bibliotheca Auli Jani Parrhasii.

§. I. Mature profecto Parrhasium bonis literis mors praeripuit, fructusque uberiores invidit studiosae iuventuti. Nihilo tamen secius optime de illis meritus fuit, et magis certe quam vulgo putatur. Eum enim inter Latinarum literarum custodes et vindices, immo inter servatores et instauratores earum adnumerare non ambigimus; neque adserere veremur et ad profligandum barbariem natum, et principem eum inter viros eiusdem professionis sua aetate fuisse. Janus Caesarius *Custodiam* illum *Ausoniae linguae* nuncupavit. Joh. Mathaeus Toscanus *Varronem* aevi sui, excitataque ab eo fuisse Italorum ingenia cecinit :

Ille sui Janus saecli Varro, ille veternum
Torpentem excussit, turba magistra, tibi (1).

Janus Broukhusius vir eruditissimus, bonaque literarum prudentia Scaligero fere, Lipsio Salmasioque comparandus: *Virum memoria Saeculorum dignissimum* Parrhasium nuncupat, *et inter primos literarum Romanarum sospitatores adnumerandum* (2). Haec usurpat quoque Burmannus iunior maiore fere hisce in studiis fama, quam Broukhusius versatus (3). Vincentius Gravina noster, vir iisdem quoque in studiis eminentissimus (4), inter principes amoeniorum literarum instauratores post renatam in Europa humanitatem Parrhasium recenset. Etenim ait: *Post Nicolai V. tempora Consentia dedit Parrhasium vel cum doctissimis veterum ingenii sublimitate, interpretandi facilitate, proprietate loquendi, et antiquitatis*

---

(1) V. *Pepl. Ital.* pag. 63. etc.
(2) V. *Comment. in Properp. lib. I. Eleg. II.* etc.
(3) V. *Praefat. in Claudian.* pag. XXIII. ed. Amsteld. 1760.
(4) V. Tirab. *Stor. della Letterat. Ital.* T. XI. pag. 226. ed. Neap. 1784.

notitia comparandum; *et Pomponium Laetum*, *vetusti moris atque elegantiae vindicem. Etruria Politianum... Venetiae Hermolaum* (1). Jovius autem (2), et Quattrimanus (3) omnino principem eruditorum aevi sui constituunt. *Cunctos*, ille ait, *nostri saeculi doctores erudito rerum omnium apparatu . . . superavit. — Vir fuit Parrhasius*, alter ait, *iudicii multi*, *plurimaeque doctrinae*, *. . . ut omnibus eruditis aevi sui viris praestiterit*. Leo sane X. et ipse doctissimus, assuetusque a teneris cum viris praestantissimi ingenii versari, quique tum quotidie stipatus erat eruditis quotquot per Italiam erant doctissimis, non ambigit Parrhasium et doctrina liberalissime praeditum, et ingenio mirifice (ita affectus erat Pontifex) praestantem nuncupare (4). Incredibilis porro illa celebritas et frequentia auditorum de Parrhasio opinionem magnopere firmat. Nullus quem ego quidem sciam aetate sua tanta auditorum copia floruit. Multa quidem dicta sunt de Politiano (5), Pomponio Laeto (6), Romulo Amasaeo (7), Lazaro Bonamico (8); illi vero aetate Parrhasium praecessere, hi subsecuti sunt (9). Vidimus quidem quot Mediolani (10) quot Romae confluxerint (11). Verum quum de prima Orbis Academia loquatur, praestat Salernum audire.

---

(1) V. Grav. *Opusc. De Convers. Doctrin. ad Gabr. Reginer. pag. 116. ed. Romae* 1696.

(2) V. *Elog. Vir. lit. illustr.*

(3) V. *Animd. in Barr.*, et *Nicod. Addiz. alla Bibl. Napol. del* Toppi pag. 87.

(4) V. Diplom. super. relat. §. XXXVIII. pag. 110.

(5) V. Tirab. *Stor. della Letterat. Ital.* aliosque.

(6) V. Zeno, *Dissert. Voss. T. II.* pag. 232. ec.—Tirab. op. cit.

(7) V. Tirab. T. VII. P. III. pag. 319. ec. 389. — Mazzucchelli. *Scritt. Ital.* ec. *T. I. P. I.* pag. 579.

(8) V. Tirab. T. cit. pag. 322. ec. — Mazzuch. op. cit. *T. II. P. IV.* pag. 2322.

(9) Romulus Amasaeus Utinensis natus est ann. 1481, die 24 Junii; obiit vero die 6. Julii, anni 1552. Lazarus autem Bonamicus natus est Bassani anno 1479, morte praereptus vivis literisque fuit anno 1552. die 11. Februarii.

(10) V. §. XVII. etc. huius Commentarii, pag. 51. et seqq.

(11) V. §. XXXVI. eiusd. Comment. pag. 103.

Tantus ad hunc unum coetus , populusque coibat ,
Ut vix ampla domus , vix et subsellia tantis
Sufficerent turbis. Vidi , vidi ipsa coactum
Ante fores agmen , nec coeperat area plebem (1).

Neque praetereundum est ipsum Salernum Romanam Academiam in obitu Parrhasii querentem inducere , quasi omnino Principem suum amisisset.

Nuper et Italicis sublimior una Cathedris
Certabam. Quoties dixi : mihi Martia talem
Nunquam Roma dedit , nec vidi tempore ab illo ,
Quo gravis ad summum venit facundia culmen (2).

Accedit et auctoritas gravis viri et doctissimi Antonii Thylesii , qui de Jano ita cecinit :

Tibris et obstupuit doctae modulamine vocis ,
Assonuit rivis haec quoque Tibri tuis.
Fassus et huic uni es veteres cessisse Quirites ;
Tam Latiis sonat hic dulce magis Latium.
Attice et Actaea magis Urbe loquutus et ipsa est ,
Hospes divino dictus ab eloquio (3).

Quod si veteres Rhetoras superavit Parrhasius , quid de superioribus vel coaevis dicendum est ? Et sane Paullus Jovius, Onuphrius Panvinius, Mutius Pansa, Philippus Brietius, aliique qui de Romano gymnasio, Leone Pontifice loquuti sunt , quasi unus Parrhasius bonas literas profiteretur , eius tantum meminerunt. Quod sane eo magis mirum videtur , quod ea aetate Rhetores eminentissimi Latina studia eadem in Academia profiterentur. Quis enim nescit qui quantique fuerint Thomas Phaedrus , Philippus Beroaldus iunior , Joh. Baptista Pius , Raphaël Brundolinus Lippus , Joh. Camers , Antonius Faber Amiterninus , Joan. Baptista Casalius , Aegidius Gallus , Vincentius Pimpinellus , Decius Syllanus , Camillus Portius , Joan. Maria Cattaneus , Michaël de Fulgineo aliique? Qui quidem omnes Oratoriam ceteraque Latina studia maximo plausu profitebantur (4).

---

(1) V. Salern. op. cit.
(2) Loc. cit.
(3) V. §. XXXVI. huius. Comment. pag. 104.
(4) V. § cit. ibid.

§. II. Ut autem ipsa re cam laudem Parrhasio adferamus animadvertendum est, quod unus maxime absolutissimam Graecarum literarum prudentiam consequi visus est, easque Latinis literis socias, et adiutrices miro vinculo copulare. Fuerunt sane ipsa aetate sua viri Graecis in studiis eminentissimi. Verum qui ex Latinis Parrhasio praestiterit vel eorum studiorum prudentia, vel sagacitate et industria, qua anxie quamdiu vixit Latinos scriptores per Graecos illustrare contenderit inveniam profecto neminem. Matthaeus Toscanus cecinit :

Abdita Cecropiae doctrinae claustra refregit,
In Latiumque tuas transtulit, *Hellas*, *opes* (1).

Antonius Thylesius fassus est

— *Huic uni veteres cessisse Quirites*,
Dum Latiis tonat hic dulce magis Latium.
Attice et Actaea magis Urbe locutus et ipsa est,
Hospes divino dictus ab eloquio.

Thomas Phaedrus ad Parrhasium

— *Vovetque dedicatque se*, ait,
Tibi Latina et Attica eloquentia (2).

A Bladario

Argivi et Latii Gloria Gymnasii,

adpellatur (3). Utraque vero eum doctissimum nuncuparunt Leo X (4), Aldus Pius (5), Alexander Marcnus (6), omnesque fere qui eius meminerunt (7). Iuvit quoque maximo-

(1) V. *Pepl. Ital. loc. cit.*
(2) V. §. XV. huius Comment. pag. 46. not.
(3) V. Andres. *Anecdot. Graec. et Lat.* etc. pag. CLXXX.
(4) V. Dipl. superius relat. pag. 113.
(5) V. *Instit. grammat. lib. IV.*
(6) V. *Epist. ad Rev. Humiliat. Sacri Ord. Vic. Max.* ante P. Victoris edit. Venet. 1505.
(7) V. Jov. *Elog. vir. lit. illustr.* etc. — Gravin. *opusc. pag. 115.* etc. — Barr. *De Situ et antiquit. Calab.* lib II. Cap. VIII. — Spera, *De Nobil. profess. gramm t.* lib. IV. pag. 451. — Henric. Steph. *Epist. ad Ludov. Castelvetrum* praep. edit. *De Rebus per* etc. Nap. 1771. — Bayle, *Dictionn. Historique et Critiq. T. III.* pag. 589. etc. Amsterd. 1730. — Spiriti, *Memorie degli Scrittori Cosentini* pag. 24. ec. — Zavarron. *Biblioth. Calab.* pag.

pere Latinas literas codicum et librorum emendatione, eaque in re immane quantum praestitit magnitudine et opportunitate laboris, et sagacitate qua confecit. Equidem fateor a renatis literis, atque ab inventa Typographica arte extitisse viros summos, qui codicibus expurgandis et restituendis incubuerint (1). Verum Parrhasii aetate longa adhuc, et asperrima restabat via. Plurima erant adhuc intacta, plurima inani periculo tentata, et pleraque, quod vetus malum augebat, ab imperitis librariis, quaestuosis typographis corrupta depravata pessumdata fuerant. Ita quidem Parrhasius ipse querebatur de tanta codicum depravatione: *De Latinis vero quo me vertam nescio, ita mendose scribuntur et veneunt. Utinam non nostri temporis haec iustior esset querela: certe ego non plus in alienis erroribus confutandis, quam in exponendis antiquorum scriptis insudarem. Sed affirmare iuratus et sancte possum, sic omnes ab impressoribus inversos esse codices, ut si auctores a postliminio mortis in lucem revocentur, eos agnituri non sint* (2). Tum alibi, quum de exhaustis in emendando Floro laboribus diceret: *In eo* (Lucio Floro) *castigando simul emendandoque quantum vigiliarum, quantum laboris exhauserim testes mihi sunt omnes, qui tum nobis operam dabant, quorum nonnullos non tam mea, quae mediocris est, eruditio trahebat ad audiendum, quam quaedam ni fallor expectatio, qua ratione curarem tot vulnera, vel ut verius dicam carnificinam, quam librarius in Floro sic exercuerat, ut novae cicatrici locus non esset* (3). Immo ad

---

65. etc. — Nicod. *Addizioni alla Bibl. Napol.* del Toppi, pag. 87. — Tafuri, *Istoria degli Scritt. del Regno di Napol.* T. IV. pag. 236 e seg. ed. Nap. 1739.—Ginguene, *Istoire de la Letterat. Vol. VII.* pag. 214. et suiv. ed. Paris 1811. — Tirab. *Storia della Letterat. Ital.* T. VII. P. III. pag. 335 e seg. — Signorelli, *Vicende della Cultura* ec. T. IV. pag. 239, e seg. ed. Nap. 1785. — Xaver. Matth. *Comment. Vit. Parrhas.* praep. edit. *De rebus per epist.* etc. Neap. 1771. — Moreri, *Grand Dictionn. Hist.* pag. 228. *a Lyon. 1681.*

(1) Tirab. *Storia* ec. Sec. XIV. XV. ec. — Corniani, *Secoli della Letterat. Ital.* — Maitt. Annal. Typogr. Aliosque.

(2) V. MSS. Lat. Reg. Bibl.

(3) V. *Praefat. in Liv.* inter MSS. cit.

Aldum scribens, quem scimus aetatem totam sedulitate, et fide spectatissima codicibus restituendis, librisque quam emendatissime imprimendis insumpsisse (1): *Elabora mi Alde*, ait, *elabora; nam plus operis et laudis expectat te, quam forsan animo praeconcipis; adhuc in damno libros esse video, qui pro castigatissimis habentur. Argumento sint quae idem attuli, quaeque deinceps afferam plurima* (2). Quamobrem in tanta librariorum et emendatorum licentia satius ratus est Parrhasius veterum codicum fidem tueri, et hanc praeclaram sibi regulam Critices aequissimae praefigere. Veterem nempe codicum lectionem, ubi plures et probati conveniant, tuendam esse, etiamsi primo intuitu haud satis commode videatur sententia fluere; et tum solum reiiciendam, quum auctoris, vel communi sensu plane pugnaret. Quamobrem ad Aldum scribebat: *Non me fugit hoc observandi genus ex collatione exemplarium a quibusdam irrisum, quum iudicio potius oporteat uti. Sed ii sunt, qui in operibus alienis, quum ingeniosi videri voluissent, ineptias effutiverunt. Equidem si in alterutro peccandum sit, in hanc quam in illam partem malim. Nam minori studiorum iactura quis inoleta iam olim vitia non tollit, aut etiam sequitur, quam sinceram veramque lectionem in deterius interpolet, ut a plerisque factum utinam mentiar. Ego quod est in me enitar antiquorum codicum fidei iudicium adiungere; verum si quid inter se discrepabunt, in plerisque vetustae lectioni iudicium post ponam. Quod consilium si fuisset aliis, utique nostrum in praesentia negotium non conflaretur* (3). Quae sane quam scite et prudenter pronunciata sint is penitus noverit, quem non latuerit quanto labori et ipsi Parrhasio et ceteris deinceps Grammaticis steterit ad veterem codicum fidem excusos auctores restituere.

§. III. Ex Latinis porro scriptoribus nullus fere fuit, cui medicam manum Janus non adposuerit. Etenim omnes ferme quotquot extant longa annorum serie praelegit, et ex insti-

(1) V. Tirab. *Op. cit. T. VII. P. I.* pag. 169. ec. — Renouard, *Annal. de l'imprimerie des Ald.* — Zeno, *Notiz. lett. intorno ai Manuzii.*

(2) V. Adp.

(3) V. Adp. cit.

tuti sui ratione, moreque a prima inventa suscepto, lectionibus singulis auctori emendando dabat operam, antequam ad illustrandum eum accederet. *Nostro igitur more*, ad auditores dicebat Parrhasius, *verba Livii primum praelegemus, ac errata librarii expurgabimus, deinde quae lucis indigebunt illustrabimus* (1). Et sane vidimus quam de Livio, Floro, Spartiano bene fuerit meritus (2). Quid autem Lactantio Firmiano praestiterit (3) quid omnibus Virgilii Catalectis, qui ea excusa legerit, noverit (4). Audivimus ex Salerno (5) quanto labore insudaverit ad expurgandas epistolas Ciceronis ad Atticum; et nimius sane essem si omnia singillatim prosequi vellem. Neque praeterea velim eo pretio Parrhasianas emendationes haberi, quo illae habentur vulgarium Grammaticorum. Ea enim quae in Claudiano rastituit, a summis nostrae quoque aetatis viris, a Burmannis (6), a Broukhusiis (7), Heinsiis vehementer probantur (8). Scitissime porro emendata ab eruditis habentur quae in Propertio (9), Ovidio (10), in Columella (11), in Cicerone ex Minutiani editione (12), in Culice (13), in Moreto (14), aliisque nonnullis in suis quaesitis per epistolam, quae extat, emendavit. Quid de emendationibus dicemus in Floro et Livio? Equidem quum eas sedulo collegissem, quae in Commentariis in

(1) V. MSS. cit.

(2) V. Sup. §. XIX. pag. 56. §. XXII. pag. 63. et seq. §. XXXVI. pag. 107. *De reb. per epist. quaesit.* pag. 227. 230. etc.

(3) Parrhasius non solum Lactantii Firmiani opera castigavit, sed edidit quoque Venetiis anno (fortasse) 1509, integro Graeco adiuncto, quod in aliis cum mancum, tum corruptum inveniebatur. V. Chioccarell. pag. 236.

(4) V. Epist. II. et III. *ad Aldum* in Adp.

(5) V. Saler. op. cit. et §. XXXVIII. huius Comment.

(6) V. *Praefat. in Claudian. pag. XXIII. Amstel. 1760.*

(7) V. *Comment. in Propert. lib. I. Eleg. 2, 20. et lib. III. Eleg.* 15. 10.

(8) V. *Praefat. in Claudian. apud Burman. loc. cit.* pag. 25.

(9) V. *De reb. per epist. quaesit.* pag. 21. 351. etc.

(10) V. *Op. cit.* pag. 314. 315, 317, 318, 320, 322, 323 etc.

(11) V. op. cit. pag. 49.

(12) V. op. cit. pag. 60 etc.

(13) V. op. cit. pag. 90, 93. et Adpend.

(14) V. op. cit. pag. 92.

Bellum Macedonicum, qui extant, occurrunt, ipsas omnino esse comperi, quae in probatissimis tantum nostri temporis Livii libris suscriptae sunt. Quamobrem dicendum est vel Parrhasianas emendationes ore scriptove habitas, a summis sequiorum temporum viris veluti iustissimas probatas et susceptas fuisse; vel quae ii longissimo studio maximaque in luce literarum repererant, eas iamdiu Parrhasium procudisse et concinnasse. Quorum si alterutrum probabitur, haud exigua laus Rhetori nostro accedet, nisi quis ineptissimus haec ut puerilia damnet. Equidem fateor satietatem iam harum rerum, et si mavis nauseam creatam nobis esse. Verum ingratissimi omnium essemus, ni vel beneficii non meminerimus, vel nullam tantis virorum vigiliis laboribus et curis referendam esse gratiam dicere auderemus. Per eos quidem Poëtae, Oratores, Rhetores, Historici tam belle fluunt, tam eleganter sibi constant, ut nos iurati adserere possemus, vel ea ipsa ab illis omnino descripta, vel si alia scripserint lubenter nos iis cárituros.

§. IV. Juvit quoque magnopere Latina studia egregia et solertissima scriptorum omnium interpretatione. Immo hac in re ita excelluit, ut eruditionis reconditae et penitissimae vir veluti κατ' ἐξοχὴν adpellaretur. Mediolanenses eruditi eum unum plerumque aiebant abstrusarum rerum clavem habere, ad Jani praenomen spectantes. Thomas Phaedrus vir praeclarissimus hoc carmine Parrhasium compellabat:

Quis haec tibi, quis auctor e penu dedit
Reposta Vatum? Originem unde subscipis
Tibi? Ut recludis abdita et recondita,
Habesque sensa, Jane, cognitissima,
Quibus misella turba litteraria
Tenetur impedita, nec potest viam
Videre, quaerat unde quod petit sibi.
Anne ipse Janus omne qui biceps videt,
Geritque clavem, aperta fecit omnia?
Vel es receptus hospes ab choro Deûm?
Sit ut lubet: vovetque dedicatque se
Tibi Latina, et Attica eloquentia (1).

---

(1) V. *Claud. de Rapt. Proserp. cum Comm. Jani Parrh.* Mediol. 1505. — Sup. §. XIV. pag. 46. not.

Neque unus Phaedrus originem veluti divinam adstruit. Joan. Maria Cataneus Parrhasio in Leoniano Gymnasio Collega ait:

Quem (Claudianum), *nunc illustrans quanto sit dignus honore*
Parrhasia Janus celsus ab arce fluens.

Tum Benedictus Marianus:

Hoc magnum dederat nomen tibi sedula mater
Doctrinae ut custos, Janitor atque fores.
Nec Decepta fuit. Plures tua pectora fundunt
Flores, quam tellus ingeniosa ferat.
Currite nunc iuvenes studiosi, currite: Janus
Eloquii pleno pectore fundit opes (1).

Valerianus:

Hic (Parrhasius) *aperit clusum quidquid erat in tenebris* (2).

Arsillus:

Sospite Parrhasio, Romana Academia opacis
Occultum in tenebris nil sinit esse diu (3).

---

(1) V. Sup. §. IX. pag. 24. not. — Similia fere his pepigit poëta Latomius in illo epigrammate, quod apud Jovium legitur, et nos propter eius brevitatem heic exscribimus.

Janum, respiceret quod tempus utrumque, Latinum,
Prisca aetas gemina fronte fuisse refert:
At nunc Parrhasio, doctrinae nomine, Jano,
Cor geminum et pectus nemo fuisse neget.

V. Jov. *Elog. Vir. Litt. illustr.* pag. 208. *Basil.* 1577.

(2) V. Jov. Elog. cit.

(3) V. Tirab. *Storia* ec. T. VII. P. III. pag. 473. — Neque minora his profecto, vel invenustiora, ut nobis videntur, dici possunt quae de eodem Parrhasio cecinerunt Antonius Motta, Lancinus Curtius, P. Marinus Fulginas, sexcentique alii bene de Jano nostro litterisque meritissimi. Quoniam operae pretium minime est omnia singillatim heic exscribere, ideo nos unius Antonii Mottae epigramma proferemus, quod sic se habet;

Persephonem Stygias quum luridas Orchus ad undas
Avectam, rapidis imposuisset equis,
Sparsa per amfractus relegens vestigia currus,
Praetulit accensam lampada moesta Ceres.
Si mihi cum venia liceat dixisse Parentis,
Offendant magnos nec mea verba Deos:
Maiorem tibi, Diva, facem fert Claudius, et qui
Illustrat Vatis carmina Parrhasius.

Alexander Marenus: *Janus Parrhasius ad interpretanda sensa vatum oculatissimus.* Lucius Scoppa noster bonarum literarum et ipse professor nobilis: *Janus Parrhasius*, ait, *noster regnicola vir doctus, pensicolatus et reconditarum rerum scitus . . . cui in multis quae sub umbra latitabant, de uno Claudiano loquens, et nunc in lucem eruta ipsi studiosa iuventus merito debet. Non enim modo Poëtae mentem rimatur et perpendit, sed multa quoque in diversos auctores expendit, quae si ipsi reviviscerent secus profecto non sentirent* (1). Hinc a Barthio *profunde doctus* adpellatur (2). Hinc Salernus civis eius post tot in Romanam Academiam Parrhasii merita, hoc pacto potuit ipsam Academiam de eo praedicantem inducere.

— Stupui (ego) *miranda canentem,*
Altaque et humano duxi maiora, reorque
Ingenio; credas Delphis Oracula Phoebum,
Aut Dodonaeas ornos quercusque loquutas. . .
Non fuit e paucis qui posset acutius alter
Solvere confusis quaecumque enigmata vatum;
Et quae fatidico fuerant vix cognita Phoebo,
Sit dixisse mihi fas, Jano cuncta patebant. . .
Parrhasius quidquid veteres texere sub altis
Sensibus, hic aperit sollers penetralia vatum (3).

Et re quidem vera qui hac in re Parrhasio praestiterit invenio profecto neminem. Quid, Volscus (4), Zarotus, Urbertinus Crescentinas (5), Codrus Urceus (6), et ipsi Pius Bononiensis, Beroaldus (7), Merula (8), Calderinus (9) cum nostro?

---

(1) V. *Collect.* lib. I. Cap. III.
(2) V. *Advers. Cap. X. pag. 1040. etc. lib. XXI.*
(3) V. Epic. cit.
(4) V. Tirab. *Storia ec. T. VII. P. II.* pag. 252. ec.
(5) V. Sax. *Hist. Lit. Typogr. Mediol.* pag. CCLXXIII. ec.
(6) V. Tirab. T. cit., pag. 388. ec.
(7) V. Tirab., T. VII. pag. 361.
(8) V. Sax. ibi. pag. CXCVII. — Zeno, *Dissert. Voss.* T. II. pag. 62. — Paul. Jov. *Elog.* — Tirab. op. cit.
(9) V. Sax. pag. CXCVII. — Argelat. *Bibl. Script. Mediol.* T. II. P. II. pag. 2055. et alibi.

Quamobrem Henricus Stephanus, vir naris emunctae iudiciique subacti, omnibus fere qui ad aetatem usque suam floruerant interpretibus Parrhasium praeponebat. *Hunc enim*, ait, *prae ceteris fere omnibus, qui poëtas commentariis illustrarunt et varia doctrina, et iudicio, et ingenio, et memoria valuisse, limaque exactiore usum esse persuasum habeo* (1). Et tum sane Paullus Manutius (2), Sigonius (3), Robortellus (4), Muretus (5), viri summi florebant, qui nisi ingenio studiorumque laude, doctrinae certo praestantia, et iudicandi acutia ceteris qui praecesserant antecellebant. Ipse Robortellus, qui numquam nisi seipsum laudavit, ita de Parrhasio ad Alciatum scribebat: *Numquam enim tua scripta lego, quin mihi illius viri recordatio occurrat adeo diligentis et perspicacis in veterum locis emendandis, atque explanandis* (6). Caspar Barthius vir profecto bonis in literis nulli secundus, quique ea floruit aetate, qua Lipsii, Scaligeri, Salmasii, Casauboni omnem prorsus et desiderium doctorum impleverant, et expectationem superaverant: *Fuit Parrhasius*, ait, *singularis homo doctrinae, quique debuerit omnem operam collocare in commentationibus Poëtarum illustrandorum* (7).

§. V. Tantam autem commoditatem enarrandi veteres auctores, perscitissima historiarum prudentia Parrhasio praestitit, quas omnes in numerato semper habebat. Historicos quidem non perlegerat modo, verum excerpserat et adnotaverat. Extat adhuc ingens omnino volumen in folio quod inscribitur *Nomenclator*, a prima fere aetate manu sua descriptum, quo Alphabetico ordine innumera virorum atque mu-

(1) V. *Epist. nunc. ad Ludovic. Castelvetr.* praep. *op. De Reb. per epist. quaesit.* ed. Neap. 1771.
(2) V. Tirab. *Storia della Letterat. Ital.* T. VII. P. I. pag. 85. ec. pag. 141, 163. ec.
(3) V. Op. e T. cit. P. II. pag. 201. ec. 371.
(4) V. Ibid. pag. 209. 212. ec.
(5) V. Ibid. P. I. pag. 28. 41. ec.
(6) V. *Annot. ad Var. loc.* etc. lib. II.
(7) V. *Comment. in Claudian.*

lierum illustrium nomina digeruntur (1); quorum sane magna pars haud grammatico, profutura etiam viro erudito visum fuisset. Quamobrem eo in evolvendo vehemens admiratio subit animum, quod vel Parrhasius ea omnia mente comprehenderit, vel ea saltem duxerit quae adhibenda ei forent, ubi locus tempusque postulaverint. Extant excerpta ex Polibio, Herodoto, Tacito, Livio, Caesare, Ammiano Marcellino, quem frequenter laudabat : *Neque alium prope nisi hunc*, ad Pium ait, *frequentius in manus habeo. Verum haec fortasse comunia cum nonnullis aetatis suae viris habuit eruditissimis*; *illud autem potius suum*, *et iuris veluti proprii fuit*, *incredibilis nempe mythicarum historiarum prudentia*, *ex quo praesertim capite tanta illi pacta est gloria*(2). Quam immanem eis operam a prima aetate dedisset, tot eius excerpta ostendunt ad plurima volumina excrescentia, in quibus tota mystica fere historia passim Alphabetico ordine disposita occurrit (3). Et Commentaria praeterea in Claudianum, et in Ibin Ovidii, quorum illud Burmannus iunior *egregium opus* adpellat (4), *et ad mythicam historiam utilissimum*; et utraque Jovius *recondita eruditione refertissima* nuncupavit (5). Parrhasius porro unus prae ceteris visus est veteres Graecos, praesertim Scholiastas ambitiosius legere atque adhibere (6). Quamobrem primus ipse omnium, quod ego sciam, et veteres cunctas fabulas in unum veluti corpus componere potuit; et quod a renatis literis nemo ullus ne adgressus quidem fuerat, interpretari, et explanare contendit. Opus quidem conscripserat, cui nomen *Originum* fecerat, quo mythicas historias persequutus, earum caussas investigabat (7). Qua quidem in re eorum sententiam amplexus

---

(1) V. MSS. Lat. Reg. Bibl. Borb.
(2) V. MSS. cit.
(3) V. MSS. cit.
(4) V. *Praefat. in Claudian.*
(5) V. *Elog. Vir. lit. illustr.* pag. 208.
(6) V. *Comment. in Rapt. Proserp. Claud.* passim. et *De Reb. per epist. quaesit.*
(7) In *Comment. in Rapt. lib. III.* de Ciclopibus disserens, sic ait Parrhasius: *eosdem* (oculos Ciclopum) *circulares Coeli ver-*

est, qui fabulas omnes ad mundum hunc adspectabilem, naturalesque res, et physica phoenomena referebant. Ii erant Pythagorici, ii erant Stoici, et plerique ex omnibus reliquis veteribus Philosophis. Et quamvis post Parrhasium tot tamque adversae de fabularum origine conflatae sententiae sint, ut eas tantum enumerare maximi laboris esset; tamen neque pauci, neque infimi subsellii viri inventi sunt, qui sententiam istam Stoicam amplecterentur et tuerentur. Et re quidem vera, quamvis ista physica fabularum explanatio omnino penitus probari posset, haud vero puto quin aliquis autumet, nil earum umquam ad agricolturam, annonam, coeli tempestates aliaque id genus spectare umquam potuisse. Verum quidquid sit de hac re, magnum profecto fuit, Parrhasium ea aetate tantum opus suscepisse, viamque nobis monstrasse, verosimiliorem sectatus et complexus sententiam.

§. VI. Veteris quoque Geographiae studio ita excelluit Parrhasius, ut non modo hac in re suae professionis sociis praestaret, verum cum iis ipsis, qui Geographi dicebantur conferri posset. Vidimus quidem quam egregie Livium restituisset, vel emendasset (1). Neminem vero fugit opus nunquam pro dignitate confici potuisse, nisi totius fere Europae et Asiae urbes, oppida, fluvia, montes, veluti domus suae aedes in comperto haberet. Quae quum latuissent Manutium, Livium nobis dedit plurimis et gravissimis erroribus scatentem (2). In quaesitis porro per epistolam quot, quanta non occurrunt ex veteri geographia scitissime interpretata? Nonne ita de Sybari et Thurio disseruit, ut magnus Mazochius noster altissimis eum extolleret laudibus? Non enim modo eum ingens Brutiorum lumen adpellavit; sed *fuit Parrhasius*, ait, *acerrimi iudicii vir, cuique tutius quam aliis scriptoribus nostris* (in geographicis quod maximum est) *credas*, . . . *quia Graecos Latinosque scriptores in numerato haberet*, et *facil-*

---

tigines repraesentare Zeno disputat. Nos ex ipsis nominibus Ciclopum aëris tempestates interpretamur, ut in nostris Originibus exponemus.

(1) V. P. I. §. XXII. pag. 63. et seq. huius Comment.

(2) V. Fabrit. *Bibl. Lat.* T. I. pag. 195. et seq. ed. Venet. 1728. — Renouard, *Annal. de l' imprim. des Ald.* T. I. et II.

lima eloquentiae vena flueret (1). Dederat profecto Parrhasius huic disciplinae improbam et adsiduam operam ab ipsa fere ineunte adolescentia; neque Historicus, vel Geographicus auctor fuit, quo perlecto, quae ad pernoscenda, et illustranda locorum, regionum, urbium distantias, proprietates, vices non excerperet et adnotaret. Sunt adhuc excerpta ex Polybio, Caesare, Poliaeno, Ammiano Marcellino, Plutarcho, Eusebio Caesariensi aliisque (2). Extat adhuc ingens volumen manu quoque sua descriptum, quo ex Strabone, Mella Pomponio, Cornelio Tacito, Pausania, Ammiano Marcellino, Auctore *Historiae tripartitae*, Eusebio de *Praeparatione Evangelica et de temporibus*, Apollonio Rhodio, Appiano Alexandrino, Dione Cocceiano, Hermolao Barbaro incredibilis urbium, oppidorum aliorumque veterum locorum vis alphabetico ordine disponuntur. Et quamvis improbo eo labore haud magnopere iuvari possemus, quum privatissimo auctoris usui conscriptus esset liber; putaverim tamen eos, qui vocantur geographici indices, seu tabulae, eo posse opere impleri et augeri. Quae saue eo maiori elogio commendanda sunt in Rhetore, quod non solum professionis suae viri, sed reliqui quoque eruditi haud quaquam adhuc absolutam et insignem operam huic dederint disciplinae; et tamen ita labores eius a doctissimis viris probarentur, ut Clarissimus D. Ioannes Andresius Regiae Bibliothecae Borbonicae Praefectus (1807), optime de nobis meritus, Parrhasianum hunc codicem cum altero Bondelmontiano coram adducat, ut ostenderet quo ardore et cura geographica studia Saeculo XV. amplecterentur, et excolerentur.

§. VII. Quamvis praeterea ea humaniorum studiorum pars, quam nunc Criticen adpellamus, nulla fere et ignota esset Parrhasii aetate, omniaque ut tradita a maioribus erant susciperentur, haud vulgarem autem ipse sagacitatem praesetulit, qua genuina a spuriis, vera a falsis discernere valuit. Parrhasius enim primus, ut diximus (3), Virgilii vitam Servio tributam Donato vindicavit; libellum de *Viris illustri-*

---

(1) V. *Tab. Heracl. P. II. Collect. V.* pag. 526. not. (70).
(2) V. MSS. Lat. R. B. B.
(3) V. P. I. §. XIII. huius Comment. pag. 38, et 39, not. (1).

bus Cornelio Nepoti tribuit (1); et cum primis fuit qui Annii Viterbiensis somnia rideret et commentitia omnia esse demostraret (2). Immo cum ipsum Baptistam Pium Bononiensem, summi tum nominis Rhetorem, eo errore laborantem deprehendisset, hoc pacto ad illum scripsit: *Mirantur et illud te nescio cuius Annii somnia adnotare in testimonium pro Fabio Pictore, Catone, Semproniоque; quum multa extent argumenta, quibus illa non Catonis, non Fabii Pictoris, non Sempronii scripta esse convincantur, sed a cucullato Flamine abundante, ut apparet, otio conficta; aiuntque extortam sibi veritatis confessionem* (3). Lectissimis praeterea argumentis Acroni grammatico doctissimo, qui Terentium commentatus est, adnotationes quae nomine suo in Horatium circumferuntur, magno animo abiudicavit (4). Quum praeterea sentiret cum reliquis compositas editasque fuisse ab Aelio Donato expositiones in Terentium, haud vero in eorum sententiam concessit, qui putabant eas ipsas esse, quae extant (5). Parrhasius enim primus ostendit neque multa Donato digna esse, neque omnia ab uno grammatico fuisse conflata (6).

Neminem denique latere arbitror Saeculo XVII. et XVIII. quantis animis decertatum fuisse de Troiani Aeneae in Italiam adventu, et quanta doctorum virorum vis in Samuelis Bocharti sententiam, qui eam primus a renatis literis excitare visus est, vel probare pedibus iverint. Quae sane ideo argutior et disertior visa est, quod ipsemet Bochartus singillatim omnia persecutus, omnes prorsus scriptores Latinos, et ex Graecis plerosque ea de re numquam ne ambigisse quidem demonstraverit (7). Qui autem Saeculo XV., et XVI. de illo adventu addubitare visus esset, neminem scio. Certum

(1) V. P. cit. §. XV. pag. 47.
(2) V. Epist. I. ad Pium Bonon. in Adp.
(3) Ibid.
(4) V. *De reb. per epist. quaesit.* pag. 31.
(5) V. Op. cit. pag. 208, 213 etc.
(6) Ibid.
(7) V. Bochart. *Epist. ad V. Cl. de Segrais. De Quaest.* Num *Aeneas* etc. pag. 1150. *Append. Ad Phaleg.*, *et Chanaan.*

autem est Parrhasium nostrum, qui Graecos praesertim auctores in Historicis sectabatur primum fortasse ea de re dubitationem suam prodiisse. Etenim inter alia Commentariis in Florum ita scribit: *Phryges ex eorum sententia, qui credunt per id tempus, quo Troia capta est in Phrygia, idest Bebrycia, cum imperio fuisse a Priamo missum, atque inde contracta manu fugam cepisse. Sed iis Dyonisius non accedit. Simnus tamen in Georgonide, et Leschus, qui parvam scripsit Iliadem, tradunt Aeneam simul, et Andromacham in partem praedae cessisse Neoptolemo* (1).

§. VIII. Magna quoque poëticae laudis gloria Parrhasius floruit; neque immerito in praecipuos eius aetatis poëtas adnumeratur (2). Carmina quidem fere omnia intercidere: unum tamen fere alterumque, quod extat, probe ostendit quanta facilitate, suavitate et venustate in illis pangendis uteretur. Scimus equidem nonnumquam veluti ex tempore fudisse; et plerique sane sunt, qui de hac egregia Parrhasii laude memine-

---

(1) V. MSS. Lat. Reg. Bibl. Borb.

(2) Multus procul dubio essem, si universos scriptores, qui de poëtica Parrhasii gloria loquuti sunt, hic recensendos suscipere m. Attamen, ne ista gratuito proferri a Patruo nostro videantur, nonnullorum bene de publica literarum re meritorum auctoritate eius sententiam fulcire satagemus. Et vero Barrius (*De situ et antiqu. Calab.* lib. II. pag. 115. ed. Romae 1571.) quum de Parrhasio loqueretur: *Fuit praestanti ingenio*, ait, *ac iudicio vir, et flagranti studio ac doctrina longe praeditus, Poëta, itemque Orator, Latina Graecave lingua sane quam eruditus, nulli sui saeculi secundus.* Angelus Spera iisdem verbis utitur, et *Poëtam et Oratorem in utraque lingua nulli secundum* Parrhasium salutat (V. *De nobilit. profess. gramm.* etc. lib. IV. pag. 431.). Sertorius Quattrimanus autem, qui nostri carmina perlegerat, ipsum certare cum veteribus asserere non dubitat. *Compose Parrasio*, ita Sertorius, *un libro di tutt' i suoi versi, dove sono così vaghe Elegie, e così nobili Endecasillabi, che non cedono punto agli Antichi* (V. Spiriti, *Memorie degli Scritt. Cosent.* pag. 27. not. (3).). Mitto ceteros. Qui vero plura desiderat, omnes fere perlegat scriptores, qui Parrhasium suis in operibus celebrarunt.

rint (1). Gauricus eum adpellat *poëtam celeberrimum* (2). Janus Anysius sic eum alloquitur :

Tenè ego praeteream, cui Musae tempora circum
Iusserunt hederas, et amicas serpere lauros ? (3).

Joannes Matthaeus Toscanus :

Non satis est veterum quod solvit enigmata vatum (Parrhasius),
Ille etiam numeros exprimit arte pari (4).

Nicolaus Salernus quum cetera Jani merita in bonas literas enumerasset, sic exclamavit :

Quis nunc, Pegasides, cantus memorabit amoenos,
Et vestros saltus celebrabit ? quisve liquores ;
Sertaque et Aonii quisnam discrimina plectri
Narraturus erit ? (5).

Verum maiori omnino eloquentiae laude Parrhasius floruit, ita ut inter paucos eius aetatis Oratores disertos et facundos haud postremum locum obtineat (6). Audivimus quidem que-

---

(1) Furius Vallus, qui nostri auditor fuit et familiaris, quique Jani caussam adversus aemulos Mediolanenses professores, Mediolanensis et ipse, data Apologia acerrime et pro virili defendit, plurimum huiusce rei, de qua sermo est, testimonium eodem in opere reliquit. Ibi enim haud raro legentibus occurunt ista verba : *Janus effundebat illa carmina sine labore.* Sed alter est clarior luculentiorque eiusdem auctoris locus, qui rem invictissime probat. Ipse enim in Nautam scribens, eadem in Apologia ita fatur : *Utrum mentiar, in sequentia carmina, quae Janus effudit ex tempore, et Alexander ad te sua manu scripta remisit, apertissime testantur.* — V. Epigr. cui hoc est initium : *Quum mea, Nauta*, etc. in Adp.

(2) V. Gauric. Op. T. II. Tract. IV. pag. 1633.

(3) V. Jani Anys. *Poëm.* lib. IV. pag. 66. et seq.

(4) V. *Peplum Italiae* etc. pag. 63.

(5) V. *Saler. Syl.* etc. pag. 140. et seq. Neap. 1536.

(6) Pierius Valerianus cum de mira dicendi facilitate, et ubertate, tum de Jani in interpretandis auctoribus sollertia et doctrina, ita cecinit :

Parrhasius quantum picturae contulit olim,
Parrhasius noster contulit eloquio.
Ille fuit celebri deductus origine Phoebi,
Hic genus unde trahat scripta diserta monent.
Ille suos velat tenebris ex arte labores,
Hic aperit clausum quidquid erat in tenebris.

madmodum Caesar Saccus incredibilem dicendi copiam commendaverit (1). Gauricus (2) praeterea, Junctinusque Oratorem facundissimum nuncuparunt, et Leonis Maximi aetate. Salernus autem:

At tu seu Elysias oras, sylvasque virenteis,
Gramineumque solum, et vernantes lumine campos
Aethereo levis umbra colis
Atque ibi Romulidas torrenti Rhetoras ambis
Eloquio, et doctos gaudes tibi cedere Manes . . .

Tum addit:

Sic hominum eloquio durissima pectora Janus
Movit, ut Amphion rigidos testudine montes,
Utque feras fidibus lustris, et robora Sylvis
Bistonius.

Oh quam praeclara porro sunt ea, quae de Parrhasii nostri tibia, seu Oratoria Poëticave eloquentia doctissimus Thylesius cecinit!

Nec jucunda magis (Tibia) *fuit alitis illa puellae*
Trigeminae illectas sistere blanda rates.
Tamque Latina fuit Syren insignia Grai
Rhetoris, hoc, hospes, sunt quoque digna viro (3).
Audita Eridani prope flumina dixit et amnis:
Non mutatus olor dulcius ore canit. . .
Tibris et obstupuit doctae modulaminae vocis,
Assonuit rivis haec quoque, Tibri, tuis.
Fassus es huic uni veteres cessisse Quirites,
Dum Latiis sonat hic dulce magis Latium.

Quid his maius dici poterat umquam, quid praestantius quid hororificentius? Restabat ut Apotheosi donaretur, et fecit Thylesius, qui inter cetera cecinit:

Tibia sed veniens augebit lumina coeli
Nocturni, gnarus suscipietque Conon.
Miratusque novum sidus accessisse, quod ipsa
Nascuntur sacro sidera coniugio.
Quodque novo exoritur sidus magis enitet aevo.

---

(1) V. P. I. §. XVII. huius Comment. pag. 52.
(2) V. Op. cit. ubi supra.
(3) Scilicet Parrhasio.

IX. Juvit autem et maxime bona studia, non ista tantum, quam modo diximus praeclara doctrina, verum sedulitate quoque et industria sua. Etenim per quinque et viginti fere annos, quibus bonas literas praestantissimis in Italiae urbibus exercuit, incredibile dictu est quanta cura studio vigilantia incumberet, quo bonae literae longe lateque excitarentur et surgerent. Audivimus quidem ea de re canentes Stephanum Dulcinum et Matthaeum Thoscanum (1), ipsumque ad Senatum Vicentinum orantem (2). Tanta porro sollicitudine et adsiduitate adolescentes sibi creditos erudiebat, ut nihil supra. Furius Vallus auditor eius. *Ego vero*, ait, *tantum ei debeo, ut etiamsi pro sua dignitate effundam vitam, ne minimam quidem eius in me meritorum partem assequar* (3). Bernardinus Martyranus, de quo paullo post uberius disseremus: *A Parrhasio*, ait, *ita semper et eruditus et dilectus sum, ut uni Patri concederet soli: quantum illius Manibus debeam omnibus ut ostenderem ipsique mihi satisfacerem, effeci.* Et paullo post: *Sed tanta fuit ipsius magnitudo in me meritorum, ut mihi ipsi numquam satisfaciam* (4). Neque pauci profecto fuere, qui Parrhasio praeceptore magnos dedere bonis in literis profectus. Ille quidem Vallus iuvenis profecto fuit eruditissimus, Janique nostri Apologiam in obtrectatores composuit. Qui eam Parrhasio tribuunt (5) stilum eius numquam noverunt, neque ipsas res, quae in ea continentur, perpenderunt: id vero, quidquid sit, Furio favet, suamque in laudem cedit. Bernardinus Martyranus Coriolani viri prorsus doctissimi (6) frater, non modo Latinas literas exquisitissime didicit; verum bona omnia studia fovit, et ut potuit pro-

---

(1) V. §. XVII, P. I. et §. I. et II. P. II. huius Comment.
(2) V. P. I. §. XXVIII. eiusd. Comm. pag. 83.
(3) V. *Apolog. Jani Parrhasii.*
(4) V. *Epist. nuncup. ad Cardinal. de Accoltis ante Jani Parrhasii in Art. Poëticam Horat. Flacci Comment. Neap.* 1531.
(5) V. *Biogr. Univers.* T. XLII. pag. 464. not. (1).
(6) V. Spiriti, *Memorie degli Scritt. Cosent.* pag. 115. — Nicod. *Addiz. alla Bibl. Nap. del Toppi*, pag. 63.

movit (1). Vir profecto qui doctos viros in amoenissimo suo *Leocopetrae* secessu, quo ipsum Carolum V. exceperat, cui erat a Secretis, saepe colligeret et arcesseret, bonarum artium Moecenas merito dici potest. Fuit et Carolus Jardinus, et ipse Parrhasii civis, iuvenis maximae spei, nisi eum mors nobis non invidisset (2): Romae enim publico stipendio conductus praematuro fato extinctus est. Epigrammate obitum eius flevit Salernus (3); et Antonius Pandosius *ad Principem Bisiniani* scribens: *De Giardino autem illo nihil penitus referam, qui quo plura ipsi nobis de eo pollicebamur, longe plura ipse amplioraque praestabat* (4). Fuit et Janus Caesarius comes et socius eius, qui Plutarchi opusculum *De immoderata verecundia* Latine reddidit, et plus quam 4000 epigrammatum, et Commentaria in Odas Horatii concinnavit (5). Pierius porro Cyminus et ipse grammaticus multi nominis fuit apud nostros, et ipse primus fuit, qui Charisium bis ex Parrhasii praeceptoris codicibus exscriptum in vulgus ediderit (6).

---

(1) V. Spiriti, ivi pag. 57. — Toppi, *Bibl. Nap.* pag. 46. — Tafuri, *Scritt. Nap.* T. III. P. II. pag. 93. P. I. pag. 277. ec. — Sambiasi, *Ragg. di Cosenza*, pag. 104 ec. *Nap.* 1639.

(2) V. Spiriti, ivi. pag. 39. — Barr. *De situ et Antiquit. Calab. lib. II. Cap. VIII.* pag. 103. — Spera, *De nobilit. profess. grammat. lib. IV.* pag. 452. — Toppi, ivi. pag. 59.

(3) Hoc epigramma ita habetur:

Ut laurus Sylvis, ut littore mirtus, ut arvis
Fronde nitens glauca semper oliva viret:
Sic Calabris Iardine tuis, tua fama virebit,
Arescant quamvis ossa sepulta diu.

(4) V. *De Coena Domini* etc. ed. Romae 1534.

(5) Duo fuere Jani sive Joannes Caesarii, pater et filius; sed ille Joannes Antonius, iste Joannes Paullus verius dicebatur; uterque bene de litteris meritissimus. Verum qui Latine reddidit Plutarchi opusculum *De immoderata Verecundia*, et plus quam 4000. carmina composuit, filius fuit, non autem pater, ut Barrius scribit. (V. Sert. Quattrimani *Animadver. in Barr. De Sit.* etc. Cap. VIII. lib. II. pag. 99, not. (c).) — Tafuri, op. cit. pag. 226. T. III. P. II. — Spiriti, ivi, pag. 62. — *Toppi*, ivi, pag. 116. — Nicod. ivi, pag. 102. — Chioccarell. *De illust. Script. Neap.* pag. 321.

(6) V. *Flav. Sosip. Charis. grammat. instit.* ed. Neap. 1532. —

§. X. Praetereundi autem nobis nequaquam sunt duo illustres Mediolanenses Parrhasii auditores, Andreas nempe Alciatus (1), et Catellianus Cotta (2); praesertim quum ille primus omnium ingenti laude Jurisprudentiam instaurasset (3), et magnum opus iste pro modulo suo navasset (4). De Alciato quidem nullus ambigit; vulgata ubique sunt eius opera, et doctorum virorum elogia. Obscurius quidem Cottae nomen, neque cum illo comparandum. Attamen quae eius extant opera, satis superque demonstrant restituendae iurisprudentiae plurimum incubuisse. Etenim pene adolescens ad leges profitendas accessit, ut ex hac epistola inedita ad Bernardum Cribellum inter schedas Parrhasii: *Utque nefas est illotis pedibus ingredi sanctuarium, sic indecorum sine praefatione ad docendum protinus accedere. Nobis itaque ex instituto maiorum placuit, antequam verborum adgrediamur expositionem, paucis absolvere quid sit, et unde dicta sit lex* (5). Et quod maius est, ipse Alciatus in aliorum laude satis parcus, eum alterum Papinianum adpellare non ambegit (6). Quae profecto eo consilio adnotavi, ut laudis pars ex restituta Jurisprudentia et Parrhasio nostro merito adseratur. Istam enim instaurationem numquam fieri potuisse neminem latere arbitror, nisi Legum prudentia bonas literas in societatem adscisceret; nisi Jurisconsulti Latinam Graecamque elegantiam expresserint; nisi per summos Grammaticos et Rhetoras in

---

Istis et alter addendus est Jani auditor Consentinus, egregiae indolis adolescens, scilicet Clarius Leonardus Schipanius, cuius civis illustris Pyrrus Cicada nonnulla edidit epigrammata amatoria cum aliquot poëmatiis suis eiusdem generis, et Jani ad Luciam Elegia, anno salutis 1534, haud vero 1502. ut Marchio Spiriti adfirmat.

(1) Gud. *Epist. Clar. et doct. Vir.* a pag. 81. ad 85.

(2) V. P. I. §. XIV. pag. 43. huius Comment.

(3) V. Tirab. Op. cit. T. VII. P. II. a pag. 105. ad 118 passim.

(4) V. Argel. *Bibl. Script. Mediol.* T. I. P. II. col. 485. — Bandello, *Novell.* XIII. T. IV. pag. 85. ed. Lione 1573. — Tirab. *Stor.* ec. T. VII. P. II. pag. 135. ec.

(5) V. MSS. Lat. Reg. Bibl. Borb.

(6) V. Gud. *Epist.* cit. pag. 75.

arcana veterum scriptorum penetraverint (1). Quantus autem Alciatus fuerit in humanioribus literis constat (2). Antonius quidem Augustinus hisce in studiis summus, Alciati auditor, et veteris ipse Jurisprudentiae instaurator, hoc pacto de illo loquitur: *Hic* (Alciatus), ait, *multa ex utriusque linguae auctoribus ad legum interpretationem applicat; non ut aliena civitate Legibus donet, sed ut alienata aut bello capta quaedam iure postliminii redire iubet, quaedam ab hostibus redimit, qaaedam suo quodammodo iure vindicat in libertatem* (3). Similia his Pancirolus (4), Gyraldus, aliique. Cotta porro et ipse pro modulo suo eruditissimus in bonis studiis habitus fuit. Parrhasio teste, eius carmina cum Tibulli, Martialis, aliorumque summorum poëtarum epigrammatis elegisque certabant. (5). Alciatus praeterea, cui ut aemulo facilius credendum, sic de eo cecinit:

Echo aliquid mihi loquere, si placet. Placet.
Ego quis id operis fecerit nescio. Scio
Dic ergo, nam Catulliani opus est? Opus est.
Humanitatis studia igitur sapit. Sapit.
Jurisperitus nonne etiam est bonus? Bonus.
Id esse dicas quomodo potest? Potest.
Nam neminem scire haec duo referunt. Ferunt.
Papinianus alter hic est. Hic est.
Haec vera cum sint, credo. Nunc Vale. Vale. (6).

Utriusque autem Jurisconsulti in humanioribus literis laus maxima omnino ex parte Parrhasio nostro debetur. Dictum quidem superius est, diutinam data Jano operam a Cotta; neque umquam eum ad legum studia gressum fecisse, nisi

---

(1) V. Tirab. *Storia della Letter. Ital.* T. VII. P. II. pag. 104. ec. — Gravin. *Opusc. I.*
(2) V. Tirab. *op. cit.* pag. 115. ec. e 117 ec. — Mazzuchelli, *Scritt. Ital.* T. I. P. I. pag. 354. — Panciro1. *De Cl. Leg. Interpr.* L. II. C. CXLII. et seq.
(3) V. *Epist. Lat. et Ital.* ed. Parm. 1804.
(4) V. Op. et loc. cit.
(5) V. *Epist. Nunc. ad Catell. Cott.* ante *Comment. in Rapt. Proserp. Claudian.* Mediol. 1501.
(6) V. Gud. epist. cit. Ibid.

absolutissime Latina et Graeca confecisset (1). Idem quoque fere de Alciato dicendum est. Etenim quamvis aetatis quintum et decimum annum vix attigisset, quum Parrhasius e Mediolano excessit, eo tamen erat ingenio, ut ea aetate iam omnia fere humanitatis studia confecisset (2). Ipse quidem frigide admodum, de more, de Parrhasio praeceptore loquitur: verum haud ita sentiebant viri doctissimi. Robortellus quidem hac aetate in amoenioribus literis nulli secundus, et qui numquam nisi seipsum laudavit, ad Alciatum ita scribebat: *Tibi vero gratulor, Alciate, quod Janum Parrhasium, virum doctissimum, a pueritia nactus fueris praeceptorem. Numquam enim tua scripta lego, quin mihi illius recordatio viri occurrat, adeo diligentis et perspicacis in veterum locis emendandis, atque explanandis. . . . Homines, qui ignorant talem praeceptorem tibi a pueritia contigisse, admirantur postea quantum etiam in hoc* (politiorum) *studiorum genere valeas. Ego qui id scio nec miror, et laetor* (3). Et quidem lubenter Alciatus Parrhasii doctrina veluti sua usus est, ut adnotavit Burmannus. Neque mirum est ita ieiune de tanto praeceptore meminisse Alciatum, quum nulli se deberi fateri pateretur, et unum fere se do tum putaret. Id sane ex unis ad Calvum epistolis patet, incredibili iactantia refertis (4). Verum quo et nostro iudicio pondus accedat et gratia, lubenter utar verbis dectissimi et Clarissimi Joannis Andresii, Regiae Bibliothecae Borbonicae Praefecti, qui quum Antonium Augustinum suum haud praeclare de Alciato coaevo viro, et deinceps praeceptore, sentientem deprehendisset: *Ego vero sic existimo*, ait; *Alciati ingenium, sive naturam, neque Augustino, neque ulli fortasse sui temporis homini placuisse; quin et doctrinam ipsam, et novam docendi methodum non omnibus fuisse probatam. Superbus et arrogans, nimiumque se, suaque amans dicebatur Alciatus, ceteros parvi*

(1) V. *Fur. Vall. Apol. Jani Parrhasii* — §. XIV. P. I. huius Comment.

(2) V. Claud. Min. in *Vit. Alciati*, ante eiusdem *Emblem.*

(3) V. *Annotat. ad Var. loc.* ec. lib. II.

(4) V. Gud. Epist. a pag. 75, usque ad 112.

faciebat, *eosque officiis et comitate sibi devincere aut nesciebat*, *aut non admodum curabat* (1).

§. XI. Aliam quoque gloriam, et mea quidem sententia, haud inanem plerique adserunt Parrhasio viri eruditi, scilicet Consentinae Academiae primam institutionem. Praeter constantem trium seculorum traditionem, a praeclarissimis Sociis Consentinis acerrime servatam, quae eam laudem Jano nostro vindicat; eruditus Marchio Spiriti patricius Consentinus, patriarum rerum scitus, et gloriae Consentinae studiosissimus (2): Xaverius Matthaeius (3), Tiraboschius (4), Signorellius (5), aliique quamplurimi eiusdem notae viri, omnes uno ore idem adfirmant (6). Nosque ipsi, Academiae characteres, prout Jani aetate obtinebant, acriter considerantes, in eorum concedere sententiam non ambigimus; quin etiam eamdem institutionem luculentius Parrhasio adseri posse confidimus. Et vero Academiae Seculo XV. et partim XVI. haud eadem qua nostra aetate diplomatum supellectile exornabantur, nec statutis legibusve a Principe probatis regebantur: erant immo plurium virorum, quibus bonarum literarum studia, eaedemque disciplinae et non absimile discendi desiderium erat, ad praestantiorem doctioremque aliquem virum coetus et conventus, quibus de literis disciplinisque int r se disserentes, aliquam dici partem una traducebant. Talis profecto fuit ea tempestate Neapoli Antonii Panormitae et Joviani Pontani; talis Romae Pomponii Laeti; talis Florentiae Marsilii Ficini Academia. Itaque quum res ita se habeat, haud ambigimus adserere a Jano plane similem societatem litterariam, similesque coetus et coventus Consentiae institutos fuisse. Quid enim ei articulari morbo pene confecto reliquum solatii toto fere biennio esse poterat, quam studia sua quodammodo prosequi, cum doctis civibus auditoribusque suis ea persaepe, ne dicam quotidie, communicando; et Romanae Academiae, quam ipse fere quinquennio illustraverat,

(1) V. *Praefat. in Epist. Ant. August.* edit. cit.
(2) V. *Memorie degli Scrittori Cosentini*, *Pref.* pag. 9.
(3) V. *Vit. Parrhas. praep.* edit. *De rebus* etc. pag. XV. et seq.
(4) V. *Stor. della Letterat. Ital.* T. VII. P. III. pag. 336.
(5) V. *Vicende della Coltura* ec. T. IV. pag. 240. ed. Nap. 1785.
(6) V. *Biogr. Univers.* T. XLII. pag. 464. — *Nuovo Dizion. Ist.* T. XX. pag. 174, e seg.

ad se propriis in aedibus speciem quamdam cogere, informare instituere (1)? Constat omnino absentes amicos crebris litteris ad bona studia fovenda atque prosequenda toto eo biennio excitasse (2); et cives suos, qui eum maxime colebant, quoquo tempore adeo dilexisse, ut eis *nonnisi selectissima quaeque tradi vellet* (3). Erant tum Consentiae fere omnes illi adolescentes, qui Jano praeceptore, ut dictum est, usi fuerant, scilicet Pierius Cyminius, Carolus Jardinius, Bernardinus Martyranus, Clarius Leonardus Schipanius, et Janus Caesarius. Erant quoque Andreas Pulianus bonarum literarum professor et Parrhasii amicissimus (4); Joannes Baptista Morellus; Jani Caesarii pater Janus Antonius, eruditusque Vincentius Tarsia, quorum omnium docta per epistolam quaesita epistolis doctioribus Janus noster solverat (5); et tot insuper tantique adolescentes studiosissimi, ut Janus ad eumdem Tarsiam scribens: *Remitteret aliquid de iudicio suo Lucius*, ait, *et qui Lucio subscripsit Cicero, si viverent hac aetate, iuventutemque Consentinam bonarum artium studiis cum quavis Italiae civitate certantem viderent* (6). Qui profecto omnes ad constituendam Academiam quum longe sufficientissimi videantur, ex eorum conventu literariam societatem a Jano informatam omninò constasse tenemus et adfirmamus.

---

(1) Sunt qui autumant, ea traditione freti, institutam a Jano Consentinam Academiam, quum e Venetiis reversus, ad quatuor fere annos manserit in Brutiis. Sed id omnino impossibile dicimus, tum quia nil prorsus de hac institutione occurrit in omnibus Jani operibus eo quatriennio elucubratis, quae ad nos usque pervenerunt; tum quia ipsi Aielli, Tabernis et Petramalae conducto ut profiteretur; et Consentiae modo fratris funere, modo ceteris domesticis calamitatibus oppresso, ad eiusmodi coetus cogendos et informandos nec tempus fuit, nec locus. Eam tamen traditionem, qua ii male usi sunt, nos complectimur, et proferimus ad firmandam Patrui nostri sententiam, quae eam laudem adserit Parrhasio iam praeclariori fama, quam tum, gaudenti, et Roma Consentiam reverso, uberiori quoque codicum rariorum supellectile instructo.

(2) V. Pierii Valeriani *Epist. ad Parrhas.* apud Burm. T. IV. op. P. Virgilii Mar. pag. 359.

(3) V. *De Rebus per epist. quaesit.* pag. 119.

(4) Ibid.

(5) V. Op. cit. a pag. 110. ad 116. pag. 117. 125.

(6) V. Ibid. pag. 110, et seqq.

Sertorii praeterea Quattrimani aetate (1570 fere) adeo in ore omnium Consentina ferebatur Academia, propter philologos longe eruditos, doctissimosque philosophos, quibus exornabatur, ut quum de nomine tandem Societati Sociisque indidendo a Joanne Paullo Aquino ageretur, persuasit ei docta epistola Sertorius, nullum praeter nomen patriae usurpandum; Societatem *Consentinae Academiae* titulo honestandam, ac Socios omnino *Consentinos* salutandos: cetera vero nomina, utpote insulsa futilia et ridicula, reiicienda (1). Ex quo prorsus inferendum est, quod a Jano instituta societas litteraria, adeo ab eius funere bonis artibus, disciplinisque incumbuerat, ut Quattrimani et Aquini tempore ad absolutam Academiae formam redacta, hunc titulum tandem usurpaverit, qui longe lateque diffusus, eximiam institutori laudem, praeclarissimam Consentiae gloriam comparaverit (2).

§. XII. Fuit praeterea Parrhasius incredibilis lectionis vir, studiique tam improbi et adsidui, ut sit fere supra fidem. Audivimus sane ut frequenter et Neapoli, et Mediolani de literariis laboribus suis interdum loqueretur, utque vigilias veluti agium, et suam haereditatem vocasset (3). Neque dubium est quin maturata ei fuisset propterea mors. Valerianus quidem familiaris eius: *Is, quum assiduis vigiliis*, ait, *et longae lectionis laboribus maceratur, in eam incidit articularis morbi truculentiam, ut per annos aliquot ne praeter linguam in universo corpore haberet incolume* (4). Nicolaus Salernus autem:

In tua damna quidem periit, studiosa iuventus,
Parrhasius, pro te noctesque diesque labori
Immoriens doctis quo tu fruerere repertis (5).

Et re quidem vera, si ad eius opera animum advertimus, temperare nos non possumus quin tantam et foecunditatem

---

(1) V. Spiriti, op. cit. ibid. — *Matt.* Egizio, *Vit.* di Sert. Quattromani — *Giorn. di Vinegia.* T. XXII. art. IX.

(2) Temere igitur Tiraboschius pronuntiavit, quum patrias literas neque promotas, neque adiutas a Jano fuisse asseruit. V. Op. cit. Ibid.

(3) V. *De rebus per epist. quaesit.* pag. 117, et seq.

(4) V. De *Infelicit. litterator.* lib. I. pag. 24.

(5) V. Nicol. Saler. Sylv. etc. pag. 140 et seqq.

ingenii, et laboris adsiduitatem miremur. Fatetur sane Quattrimanus, doctus et ipse vir, se numquam fidem suam praestiturum fuisset, ni ipsis oculis suis vidisset, suisque manibus pertractasset (1). Adhuc sane extant quindecim fere magna volumina excerptorum suorum, quibus alphabetico ordine interdum Mythologica, grammatica, historica, geographica digessit; extant et plerique etiam auctores manu sua notati, vel emendati. I. Praeter Claudianum primis, secundisque curis illustratum (1501, et 1505.), aliud exemplar extat et tertiis curis auctum (2). II. In tres *Ciceronis libros epistolarum ad Atticum* uberrimos commentarios habemus, qui vix maximo volumine in folio continentur (3). III. Habemus *adnotationes in Epistolas Heroicas Ovidii*, quae excusis adiectae, opus omnino absolvunt. Etenim illae, quae typis impressae sunt notae, ex schedis excerptae, quae ex codice Parrhasii abstractae sunt, ut sedula collatione notavimus. IV. Sunt absolutae enarrationes in *Paradoxa Ciceronis*. V. Et alia *quaesita per epistolam*, quae excusa non sunt, duae nempe epistolae ad Pium, duae ad Aldum Manutium, de quibus meminimus (4), altera ad Hieronymum Peregrinum longam et eruditam, de *Struthiocamelo* Pliniano, et quibusdam etiam fruticibus et aromatis veterum. Ad *nepotem* hujus aliam, aliam tandem ad *Pompeium Eleatem*. VI. Sunt pleraeque Orationes ad praelectiones auctorum, et duae *Epithalamicae*. VII. Lucubrationes in *Sibarim* et *Thurium*; in *pondera* et *mensuras veterum*; *de auctore libelli de Viris illustribus*. VIII. Tres *in Florum* distinctas et diversas *enarrationes*, sive *Commentarios* habemus. Primus nempe prima aetate confectus, neque sane copiosus; adnotationes enim ad libri marginem adpositae sunt. Alter multo copiosior Mediolani confectus, ad *bellum* usque *Sertorianum* adductus. Tertius vero copiosissimus, fortasse Romae exaratus, et a ceteris plerumque alius,

---

(1) Apud Nicod. *Addiz. alla Bibl. Nap. del Toppi*, pag. 87. et Spirit. op. cit. pag. 27. not. (3).

(2) V. MSS. Lat. Reg. Bibl. Borb.

(3) V. MSS. cit.

(4) Eas, ut satis superque dictum est in praefatione, huic commentario loco adpendicis adstruebimus.

ad *bellum Spartacum* desinit, prae chiragrae certo dolore incompletus: etenim exscriptus est ab alio codice. IX. Sunt *Commentaria* in primum librum de *bello Livii Macedonico*, et in alterius partem, a primo autographo manu quoque sua exscripta. X. Duae sunt in *Artem Poëticam Horatii enarrationes*, a se invicem toto coelo diversae. Quae enim editae sunt pauciora persequuntur, sed longe uberius; quae vero ineditae plura animadvertunt, sed breviori stilo. Ipsum *Prooemium*, quod in ineditis Antonii Seripandi manu exscriptum est, diversum est; notatuque dignum, amplam illam de Romanis nominibus excursionem haud ibi locatam, ubi editam legimus, sed longe commodius, ubi Pisones Horatius alloquitur. XI. Duo et copiosissima Commentaria in reliqua *Horatii Carmina*, si *Epistolas*, et *Satyras* excipias. XII. Et sunt tres in *Ibin Ovidii*, quem Jovius *penitissima eruditione* eum interpretatum fuisse ait; primum ad libri oras, neque integrum; alterum brevius, tertium copiosius. Sua quodque fere propria ut cetera prosequitur. XIII. Duo quoque in *Tibullum* extant *commentaria*, iuvenili vero Parrhasii aetate confecta. XIV. In omnes *Statii Papinii Sylvas notae* adiectae sunt, copiosae quidem initio, deinceps vero rariores. XV. Sunt et *enarrationes* quaedam in *Commentarios Caesaris*; et XVI. in primum et secundum librum *exemplorum Valerii Maximi*. XVII. Et tria extant in *Valerium Flaccum commentaria*, alterum prima aetate, et fortasse sub praeceptore confectum, absolutum vero ut videtur; nam vitio fortasse librarii septimus et octavus liber deest: alterum vero matura aetate inceptum, ad secundum librum desinit. Tertium vere confectum quidem, verum nec plenum, nec copiosum.

§. XIV. Haec autem ipsa, etsi multa, fragmenta potius et reliquiae scriptorum Parrhasii, quam scripta eius dicenda sunt. Plura et potiora enim interciderunt. Nam vix eo defuncto praecipua opera rapacibus statim unguibus occupatae sunt; neque Antonio Seripando, ut dicemus, nisi ea quae adnumeravimus, et nonnulla quaedam alia, quae deinceps perierunt, colligere licuit. Verum longe plura a familiaribus et discipulis Jani desiderata sunt. Cyminius quidem, qui defuncto quoque Seripando scribebat, quum sciret haec, quae habemus, tuta iam in eius domo manere, attamen Episcopo Coriolano Martyrano scribebat: *Quare summopere dolendum*

est, *quod nescio cuius iniquitate* (*proh dolor*! *vix suppetunt Cyminio tuo verba.*) *eius opera fuerunt intercepta*, *maximo literarum incommodo* (1). Bernardinus Martyranus Coriolani frater eadem fere habet, et addit: *Ipse sane ut quantum illius manibus debeam omnibus ostenderem*, *ipsique mihi satisfacerem*; *et Romae et Consentiae*, *et ubicumque locorum fui*, *quamvis grandioribus negotiis occupatus*, *quae mihi* (*ut qui sim Caesaris a secretis*) *domi militiaeque incumbebant*, *semper tamen ea diligentia usus sum*, *ac ita me gessi in ipsius operibus investigandis*, *ut nemo sit*, *qui habitam esse eius dignitatis a me rationem existimet*. . . *Verum adhuc*, *praeter haec in Flacci Poëticam Commentaria mille sane laboribus acquisita*, *nihil reliqui consequi potui*: *quae*, *etsi non satis elucubrata*, *nec auctoris manu perscripta et limata prodierint*, *tamen ut alii scriptorum Parrhasii occupatores*, *exemplo ducti*, *illa quae occulunt propalare velint nolint cogantur*, *typis edenda tradere visum est* (2). Franciscus Robortellus paullo post ista tempora clamabat: *Ac utinam illius scripta non intercidissent*, *aut aliquo in loco compressa non laterent*! *Scio enim multa illum scripsisse*, *praeter ea quae extant*, *ad expurgandos et illustrandos veteres auctores Graecos*, *et Latinos*. *Nec sane pauca mihi legenda tradidit familiaris quidam meus*, *qui idem affirmavit Consentiae apud multos haberi multa plura descripta*, *quae paullo post exibunt in lucem* (3).

§. XV. Et re quidem vera, I. opus illud *de Originibus* omnino interiit. Eoque ex opere, si quae mythologica in excerptis congesta sunt excipias, ne schedula quidem superfuit. Videtur tamen iis usum fuisse Natalem Comitem in opere Parrhasiano haud absimili, cui titulum fecit *Mythologiae*, sive

---

(1) V. *Epist.* nuncup. ante *Flavii Sosip. Charis. gramm. inst.* ed. Neap. 1532.

(2) V. *Epist.* nuncup. *ad Card. de Accoltis* ante *Comment. in Poetic. Horatii.* ed. Neap. 1531.

(3) V. *Annot. ad Var. loc.* etc. lib. II.

explicationes fabularum. Parrhasius quidem (*Comment*. de *Rapt. Proserpinae* lib. 1. ver. 109.) ad illud :

— *quod non Cyclopea tela*
Stringimus , etc.

Fulmina nempe , ait , *quae Jovi Cyclopes fabricant. Hos Hesiodus tres memorat* , *Steropen* , *Brontem*, *et Argen. Et Cyclopes appellatos* , *ait* , *quod unus singulis oculus* , *et in medio fronte circinatae rotunditatis erat. Item sensit et Hellanicus. Eosdem* (oculos Cyclopum) *cirulares Coeli vertigines representare Zeno disputat. Nos ex ipsis nominibus Ciclopum aëris tempestates interpretamur, ut in nostris Originibus exponemus* ; *et inde Coelo ac terra parentibus natos fingi* , *quod ex igne Coeli terraeque vaporibus excitentur*. Natalis autem Comes sic : *Alii tamen maluerunt fabulam hanc* (Cyclopum) *ad physicas rationes traduci* (inter quos princeps fortasse Parrhasius fuit.), *qui dixerunt Ciclopas esse vapores* , *e quibus fulmina* , *et fulgura* , *et tonitrua nascantur. Hi dicuntur Coeli et terrae filii* , *quoniam vapores e terra* , *nonnissi per calorem coelestem* , *extolli* , *atque extenuari in aëra possunt . . . Horum tres pracipue dicti sunt Jovi fulmina fabricare* , *Harpes* , *Brontes* , *Steropes* , *quod Harpes* , *ad se rapiat vapores*, *pro quo alii Pyracmonem substituerunt*. . . *At βροντάω tonare significat*, *unde dictus est Brontes*: *Steropes fulgur est*, *et splendor is qui fulmina antecedit* :.. *est enim idem atque si dixissent vapores ex aqua* , *et terra virtute caloris coelestis extolli* (1). Reperiuntur porro in Comite reliquae Parrhasii sententiae , ut , speciminis gratia, *Cererem esse terram* , qua semen sit iactum, et *Proserpinam ipsum semen* (2). Parrhasius de Penatibus ideo eos dici putat , quia per eos penitus spiramus , per quos habemus corpus et animae rationem (3). Comes vero : *Fuerunt etiam nonnulli* , *qui Penates Deos esse putarunt illos per quos spiramus* , *per quos cognoscimus* , *per quos vivimus*, *per quos solem intuemur* (4). Idem praeterea veluti basis et fundamentum operis utrique est , fabulis nempe altissimam contineri Philosophiam. Parrhasius quidem : *Orpheus* , ait, *suorum dogmatum mysteria fabularum intexit involucris* , *et*

---

(1) V. Op. cit. lib. IX. Cap. VIII.
(2) Idem lib. III. Cap. XVI , et lib. V. Cap. XIX.
(3) V. Comment. saepe cit.
(4) V. op. cit. lib. IV. Cap. II.

poëtico velamento dissimulavit. Sic Pythagoras. Neque enim Natura nudam se, apertamque aequo animo ostendi patitur, ne a vulgo indignis manibus attrectetur. Sed aenigmatum nodis et figurarum velamentis gaudet operiri, ut a solis tractaretur sapientibus. Eae ergo sunt fabulae altissimis plenae mysteriis, rerum secretarum contemplationem complectentes (1). Comes vero : *Universa Philosophiae praecepta sub his ipsis fabulis antiquitus continebantur... ita ut omnia philosophiae dogmata non aperte, sed obscure, sub quibusdam integumentis traderentur. Graeci enim ne res admirabiles in vulgus ederentur . . . per fabulas philosophari clam coeperunt. Qui vero altissima, et occultissima fabularum secreta denudaverit; qui Philosophiae dogmata ex obscuris fabularum tenebris in lucem eduxerit, aut ad vires, actionesque naturae patefaciendas, aut ad mores informandos vitamque recte instituendam, aut ad vires motusque astrorum intelligendos, adhuc repertus est nemo, ut mihi quidem videtur, tolerabilis* (2). Haec vero plane coniiciendo dicimus; neque de obscurissima re decernere audemus. Illud autem, aio, quod si revera illud Parrhasii opus umquam vidit Comes, in eo peccasse videtur, quod numquam auctores, per quos profecerat, vel quorum sententias adtexebat, adduxit.

§. XVI. Interciderunt II. etiam *Commentarii in Tibullum*: ii enim qui extant iuvenilia sunt potius tentamina. Attamen certum est eos Mediolani pro dignitate conscripsisse (3); eorum quidem auctoritatem ad Claudianum adducit, vitamque etiam confecisse ait (4). Desiderantur III. praeterea reliquae in *Bellum Livii Macedonicum adnotationes*, quas per totum triennium enarravit (5). IV. Tum illae in Terentium, quarum tantum discerptum fragmentum extat. V. Desunt cetera in *epistolas Ciceronis ad Atticum Commentaria*, quas plures quoque per annos enarrasse constat (6). Hi autem

---

(1) V. *Comment. in Art. Poëticam. Q. Horat. Flacci* ed. cit.
(2) V. Nat. Comit. Op. cit. lib. I. Cap. I.
(3) V. P. I. §. XXII. huius Comment.
(4) V. *Comment. in Raptum Proserp.* cc.
(5) V. *Praef. in Comment.* cit.
(6) V. P. cit. §. XXXVII. et XXXVIII.

qui extant libri, etsi Parrhasii manu, exscripti vero sunt ab alio autographo. VI. Copiosiores porro in Valerium Flaccum enarrationes videntur quoque omnino intercidisse. Nam Parrhasius non modo se omnem operam eo in exornando posuisse ait; verum nullis laboribus, vigiliisque pepercisse, quo primum illud in Flaccum commentarium a doctis viris probaretur; et ea quidem in eis erudita et recondita adposuerit, ut quae ex eis ad auditores adduxerat, plerique viri omnino doctissimi adnotaverint et vulgaverint pro suis. Ita enim ad Romanos discipulos suos Parrhasius: *Annis abhinc duodeviginti*, ait, *Valerium Flaccum Mediolani compositis commentariis interpretati sumus. In quem quid attulerimus, aliorum sit arbitrium. Nihil quidem praetermissum est, quod assequi assiduo studio vigiliisque valuerim. Nunc audio aliquos, nempe Baptistam Egnatium, Marinum Becichemum, Constantium Fanensem, Coelium Rhodiginum etc. ea quae tum frequentissimo commisimus auditorio pro suis ostendere. Quocirca statuimus in hac orbis terrarum principe Academia Valerium Flaccum denuo pronulgare, ut eorum furtum agnoscatis* (1). Quod sane, nisi per commentaria iampridem confecta et parata fieri nequaquam poterat. VII. Idem quoque dicendum est de *Commentariis* in *Sylvas Papinii Statii*. Etenim qui extant neque pleni, neque absoluti sunt. Attamen iam tum, quum Parrhasius Mediolani degebat, ad editionem erant parati. Furius Vallus in Jani Apologia: *Exibunt*, ait, *eius* (Parrhasii) *in Papinium lucubrationes, exibunt, et propediem tales, ut omnis profanos obiecta veneratio repellat a limine*. Neque praetereundum Nicolaum Salernum ita de hisce commentariis cecinisse, quae nullo pacto ad illa, quae extant, spectare possunt:

Cuserat in Sylvis, quae si vulgasset, et essent
In manibus vulgi, non torqueretur, ut alti
Suspensi iuvenes irent in sensa Poëtae.

---

(1) V. MSS. cit. — De his Parrhasii in Flaccum Commentariis sic ait Salernus:

Expectabantur cunctis, interprete Jano,
Enarrata diu Flacci monimenta canori,
Per freta qui Mynias repetentes vellera Phryxi,
Palladio ad Scythicos evexit robore Colchos.
In nostras fortuna manus sed laeva venire
Haec vetuit, tantoque invidit saeva labori.

Omnia plana forent, Jano dictante perito;
Et nunc a laetis gauderet Statius arvis,
Si, duce Parrhasio, non erraretur opacis
In Sylvis, quas ipse furens effuderat oestro
Percitus Aonio, veluti Cumaea Sacerdos
Fata canens agitante Deo, cum congerit ore
Qualiacumque ruens animis obiecit Apollo (1).

VIII. Desiderata quoque sunt, quae in reliqua Claudiani sui opera lucubrare inceperat. Salernus enim sic de isto incepto loquitur:

Moxque Paretonii pellectus carmine Vatis,
In reliquum vigilabat opus: sed magna Sorores,
Heu! rerum durae ruperunt orsa novarum (2).

IX. Commentariorum in *Ibin* praecipua quoque pars intercepta est. Illa enim copiosa a 109. disticho incipiunt, neque ad finem omnino perducta sunt. X. Desunt quoque quae in Satyras Juvenalis, et Persii elucubraverat, et quae in Taciti libros enarraverat (3).

§. XVII. XI. Maior certe iactura fuit *Quaesitorum per epistolam*: de iis enim ita Cyminius loquitur, qui saepe legerat et tractaverat: *In primis autem deflenda est*, ait, *illius divini operis iactura, de Rebus scilicet per epistolam quaesitis, quod ipse saepenumero vidi. Erat enim ad editionem iampridem paratum, librisque constabat circiter quinque et viginti: ubi diversorum auctorum loca pene infinita, Platonisque, ut aiunt, numeris obscuriora, animata, divinaque illa dicendi ubertate explicabantur.* Quamobrem statim ipse exclamabat: *O doctorum omnium consensu, Musis, et Apollini damnosam Parrhasii mortem* (4)! Quamobrem credendum est ab hoc magno opere excerpta fuisse, quae legimus *Quaesita per epistolas* typis edita (5). Neque negotium facessat existere adhuc codicem Parrhasii autographon, quo istae ipsae epistolae legantur: nam istae epistolae alio om-

(1) V. Epic. cit.
(2) Ibid.
(3) V. Sert. Quattr. ap. Spirit. Mem. etc. pag. 27. not. (3).
(4) V. *Epist. nuncup. ad Coxiol. Martyr. ante Inst. Grammat. Charisii.*
(5) Vide quae superius retulimus P. I. §. XXIII. pag. 67. not. (2), ubi de huius operis editionibus actum est.

nino ordine depositae sunt ; ac in isto codice. Multa heic sunt, quae ibi desiderantur, et pleraque ibi, quae in isto autographo desunt. Parrhasius porro, ut iam satis superque dictum est, non semel, sed bis, ter, quater eadem faciebat, reficiebat mutabat. Exemplar porro illud exscriptum ab autographo videtur: desunt enim quaedam verba, quae certo secus numquam desiderata fuissent. In epistola ad Biffum (1) reponendum γέλοιον. Tum numquam ea quae in quaesitis disserere pollicetur in Commentario in Epist. Heroides Ovidii (2), in illis quae impressa sunt reperiuntur. *De his*, ait, *copiosius et distinctius ostendam in eo opere, cui titulum feci de rebus per epistolam quaesitis*. XII. Periere tum pleraeque eius ad amicos epistolae (3); XIII. et plurima carmina, quae Quattrimano locupletissimo teste, cum antiquis omnino certabant (4) XIV. Plures orationes eius intercidere, ut ex hoc tantum titulo satis patet: *Orationes et Carmina Jani, et Antiquarii, Parrhasii manu* (5). XV. Quaestiones praeterea Rhetoricae, quas iam iam editurum pollicitus est Cyminius. *Jani Parrhasii Rhetoricae quaestiones sub tuis auspiciis, Coriolane Martyrane, exibunt in publicum* (6). Periit quoque Apologia eius in obtrectatores, quae iam tum, quum Vallus suam vulgavit, parata ad editionem erat (7). De ea Quattrimanus: *Tam egregia*, ait, *erat, tanta doctrina referta, et tam recondita, ut haud meminerim aliquid praestantius huiuscemodi lucubratione legisse me umquam* (8).

§. XVIII. Haec autem Parrhasii scripta ubi terrarum delitescerent, vel si omnino perierint ignoramus; et quamvis

---

(1) V. *De rebus per Epist. quaesitis* pag. 54. ed. Neap. 1771, quae XVI. est huiusce voluminis epistola.

(2) V. *Ovid. Heroid. cum Hubert. Crescent. et Jano Parrhasio* etc. Jani Comment. ad V. 15. Epist. Penel. Ulyss. ed. Venet. apud Marc. Ant. Zalterium. 1587.

(3) Sert. Quattr. apud eosdem sup. cit.

(4) Ibid.

(5) V. *MSS. cit.*

(6) V. Epist. cit. ante Charis. instit.

(7) *Janus habet Apologiam paratam, qua eum* (Minutianum) *cum mille facinorum, tum perfidiae reum peragit, qui nulla alia de causa secum rediit in gratiam, nisi ut eum inter oscitantes opprimeret.* Ita Vallus op. cit.

(8) Ibid.

sat constet ea plerumque in manus doctorum virorum pervenisse, haud vero aequum ducimus temerario iudicio vel plagii, vel furti viros clarissimos insimulare, ubi certa omnino non exteut argumenta. Quamobrem illa Gabrielis Barrii temeritatem improbamus, qui tam palam, tam acriter, tam pertinaciter utrosque Manutios Paullum, et Aldum iuniorem foedissimi plagii arcessiit (1). Patrem nempe, quod Commentaria Parrhasii in epistolas Ciceronis ad Atticum pro suis ediderit; filium quod tradita sibi a patre *quaesita* Parrhasii *per epistolas*, pro suis multo tempore post evulgaverit. Nam quum sedulo Parrhasii Commentaria cum Manutianis contulissem, ea toto coelo distare comperimus. Alius nempe ab alio disceduut; neque conveniunt profecto, neque discrepant, quum uterque sua persequatur. Paullus Manutius brevior, et temporis historiam, et, ut ita dicam, epistolarum ambages solvit luculentius: Parrhasius vero multo copiosior est, et ea quae ad Latinam, Graecamque eruditionem, et antiquitatem pertinent longe melius, et uberius explicat. Neque aliud Barrio fuit ad insimulationem argumentum, quam quod constaret, et ipse Manutius fassus sit, se aliquando Parrhasiana commentaria evolvisse. Haec vero, Barrio ipso teste, non placuerunt Manutio, viro quidem sermonis elegantissimi, sed ineruditio, leviterque docto. Aliud quoque et ipsi Paullo, et Aldo filio a Barrio, aliisque obiectum plagii crimen est, eos nempe sumpsisse famosa illa Parrhasii *quaesita*; et tandem pro suis, stilo fortasse immutato, edidisse. Quae ut firmaret Barrius, ait: *Paullum, quo furtum lateret, clam denuo excudisse institutiones illas Grammaticae Aldi patris, quibus haec habebantur: Novissime autem in manibus erat* (Parrhasii) *pene absolutum volumen de rebus abstrusis per epistolam quaesitis, Valgium Rufum imitatus, quod quinque et viginti libros continebat, et haec ipsa expunxisse* (2). Haec in sua Calabria, haec ad Petrum Victorium scripsit: *Videmus nos nonnulla exemplaria sine anni nota, et hisce expunctis, et, quod quidem verum est, editionem diversorum.* Attamen ostendendum esset semel tantum ab Al-

(1) V. *De Situ et Antiq. Calabriae* lib. II. Cap. VIII. ed. Romae 1737.
(2) Ibid.

do patre excusas fuisse eas institutiones. Nec porro facile quis in animum suum induxerit Paullum, ut ea expungeret, tam vile facinus patrasse, parasse nempe aliam editionem, quae paternae omnino speciem praeseferret? Neque praeterea ista verba videntur scite locata ubi ea fuisse Barrius ait. Ita enim ibi scriptum. *Idem quoque habetur apud Attilium Fortunatianum, et in fragmentis illis antiquis sine auctoris nomine, quae Janus Parrhasius homo utriusque linguae doctissimus, cum Mediolani publice bonas literas profiteretur, edidit. Ceteri vero omnes, quos ipse legerim . . .* Ubi illis verbis locus? Quod si revera fuerunt in prima illa Aldi Pii editione, et ea Paullus expunxit, fecit, ut puto, quia nullus eis ibi locus erat. Quandonam porro furtum istud factum ponemus? Quum Parrhasius defunctus est. Esto. Tum vix Paullus decimum annum numerabat. Dati sunt codices a Seripando? Absit ut de tanto viro ea ne cogitemus quidem, putemusque tam facile sacrum ius depositi violasse. Praeterea si hisce in rebus plumbei omnino non sumus, nullo negotio percipimus, *quaesita* illa Aldi filio si vellemus, adscribenda autem Parrhasio nequaquam a nobis essent. Praeterquam quod imperite Aldino opusculo epigraphe illa praescripta est, cum nec aliquid abstrusum quaeratur, vel solvatur; verum et quae disseruntur, et disserendi modus, et ab eruditione, et a stilo Parrhasii quam longissime absunt. Aldus Academice de quibusdam ex Romana vetustate loquitur; Parrhasius autem, teste Cyminio, veterum auctorum loca interpretatus fuerat (1). Quod si ea quae habemus Parrhasii *quaesita* vel deperditi operis pars, vel amissis similia sunt, qui ea cum Aldinis conferet, haud fateri dubitabit, Aldum in suo epigraphen tantum, et eam male locatam, ex Parrhasio mutuasse (2).

§. XIX. Quidquid tamen de his sit, sive deperdita, sive quoque inedita respicias Parrhasii opera; et nonnulla et ea exquisita sunt, quae typis habemus excusa: I. *Commentarium*

---

(1) V. *Ep. ad Coriol. Martyr. ante Flav. Sosip. Charis. grammat. instit.*

(2) Vide quoque Ginguenéum, qui (T. VII. pag. 342. *Istoire de la Littér. Ital.* Paris. 1811.) quadriennio fere post quam haec Patruus noster scripserat, idem ipse scripsit de eadem re, et in lucem asseruit.

nempe *in Raptum Proserpinae Claudiani*. II. *Quaesita per epistolam*, III. *et nonnullas literas ad amicos familiares* (1). Haud vero per Parrhasium stetit quin reliqua in vulgus emitterentur. Immo quum gloriae esset cupidissimus, haud parum moeroris suscipiendum ipsi fuit, quum ea gloria fruiturum se aliquando desperaret. Haec Martyranus: *Parrhasius Civis et praeceptor meus, vir magno ingenio, quum vitam ageret, . . ut maxime prudentem decet, tamquam e speculo assidue prospiciens hominum, in qua vivimus, imbecillitatem; ne, ut ante nostra tempora plerisque accidit, simul cum vita nomen interiret, omni opere, cura, studio, diligentia noctes diesque usque adeo laboravit, ut non absque puerorum utilitate immortalitatem sibi, et ipsis invidis adprobantibus compararet* (2). Verum munera obstitere, quo et multa omnino et absolute conficeret, et perfecta, et absoluta typis evulgaret. Etenim, ut tum erat scholarum mos, perraro admodum auctor qui enarrandus suscipiebatur, ad finem usque cum Commentariis perducebatur. Quamobrem opus erat, ut plerique auctores tantum initio interpretati iacerent, quum ex munere ad alios aliosque commentaria conficienda conferre gradum oporteret. Accedebat perpetua illa peregrinatio, qua fiebat ut plures commentarii in eumdem auctorem conscriberentur, quo praeceptor se captui auditorum accommodaret, et multi imperfecti relinquerentur, ut temporibus, et auditoribus inserviret. Illa postremo egestas, qua adflictatus fuit, omnia confecit. Jam superius de iniquitate fortunae suae se conquerentem audivimus, praesertim Mediolani (3). Romae vero postremis suis temporibus hunc in modum ad amicum scribebat: *Quod si idem Legatus* (Michaël Sylvius) *auctor meae tranquillitatis operam dederit, ut a nostro Principe* (Leone X.) *non tam meae fortunae, quae extreme misera vel glebam sit*

(1) Catalogum veterum scriptorum a Jano nostro editorum, nec non et operum omnium ab ipso Jano exaratorum, suapteque vel aliorum cura in lucis usuram emissorum, ad calcem huiusce Commentarii, amice lector habebis. Interea videsis quae supra P. I. §. XIII. XIV. XV. XXII. XXIII. XXIV. et XXVIII. apertissime habentur.

(2) V. *Epist. ad Cardin. de Accoltis, ante Comment. in Art. Poët. Horat.*

(3) V. P. cit. §. XX.

acceptura, quam ratio suae dignitatis habeatur . . . certe si quid ingenii, si quid eruditionis in me, si dicendi commoditas est, id omne effundam prodendis iis, quae tot annorum varia lectione comperta, conquisita, collectaque mihi sunt, in usum studiosae inventutis : nec absque grata, et honorifica mentione eorum, qui nobis ad ea facultatem suppeditaverunt ; ut siquidem fructum posteritas inde percipit, acceptum referat Pontifici primum Maximo, deinde Sylvio nostro, per quem conciliata mihi Pontificis voluntas est (1).

XX. Neque tandem postrema Rhetoris laus est incredibili studio incubuisse, quo delectissimam sibi pararet bibliothecam. Ubicumque locorum fuit nulli sumtui parcens, et libros, et veteres codices collegit, et emit. In Bibliotheca sane nostra Regia, quae Parrhasianae reliquias excepit, plurima sunt, quae ostendere nobis quodammodo possunt, quae, et quanta ea fuerint (2). Si enim excipias omnes veteres, novosque ad aetatem suam Grammaticos, Rhetoras, Interpretes typis excusos ; omnes Latinos scriptores per plures typographos emendatos ; Graeci sane et Latini codices MSS. chartacei vel membracei plurimi sane sunt, et plerique nobilissimi. Nulli quidem magna vetustas, si Lycophronis codicem excipias ; verum plerumque nitidissime exscripti sunt, et quibus facillime credas, quum ipse in Latinis fuisset eminentissimus, et in Graecis cum Demetrio socero nulli secundus haberi possit. Quid autem dicendnm fuisset, si integram excepissemus ? Id vero eo amplius mirum debet esse, cum tanta in mediocritate familiaris rei versaretur, et tunc et codices, et libri magni omnino starent. Josephus profecto Scaliger absque ea codicum copia, qua Parrhasius utebatur, quumque minoris libri emerentur, sic ea de re querebatur : *Quid vetat*, inquit, *inter nos verum dicere ? Uno morbo laboramus, penuria librorum. Immani pretio bibliothecunculam adorno, quae cum aliis mediocribus collata, ne plebei quidem bibliopolae taberna dici possit : et tamen non audeo fateri quanta haec frivola mihi constet, quae nostros saeculos exhau-*

---

(1) V. *De Rebus per epistolam quaesitis* pag. 142.
(2) V. Catalog. MSS. Graec. et Lat. Reg. Bibl. Borb.

riunt, *et desiderium vel potius sitim nostram non explent* (1). Et alibi: *Nescis quam immani pretio bibliothecam mihi parem. Vix habeo vulgatissimos libros*, *et tamen eos sumptus feci*, *quos in rationes expensi retulisse pudeat*, *adeo me paupertatis meae pudet*, *poenitet iacturae* (2). Quid porro dicemus de sua sedulitate, et alacritate qua in literas ferebatur, si animadvertamus eam quinquies deperditam, abreptam, pessumdatam reparasse et restaurasse? *Nec etiam querar*, ipsa verba Parrhasii sunt, *instructissima librorum supellectili quinquies ab ea* (Fortuna) *me spoliatum*, *partim praedonibus immissis*, *qui mare Siculum redderent infestum*, *partim qui patriam diriperent meam*, *partim qui pluris utilitatem*, *quam depositi religionem facerent* (3).

XXI. Quum ergo ex his omnibus satis superque probatum sit, ut putamus, qui Parrhasius fuerit, haud ingratum lectoribus fore puto si, veluti appendicis loco, brevissimam heic bibliothecae Parrhasianae adtexam historiam, et praecipua quoque quae adhuc extant, qua maiori possum colligam brevitate. Comparanda igitur bibliotheca a primis certe annis incubuit; quumque neque in gente sua, neque in sua civitate viri in amoenioribus literis insignes extiterint, certe quidem paterna ope, sed et propria industria ii colligendi sibi fuere. Et prima iactura tum mihi videtur facta, quum Corcyra se in patriam reciperet: primum enim se bibliotheca spoliatum ait, *praedonibus immissis*, *qui mare Siculum redderent infestum*. Et tum sane per totum mare et Turcae, et ceteri barbarici pyratae, et raptores discurrebant. Refecit sane ut potuit; et quum enarrare auctores Consentiae coepisset, haud parvus certe numerus librorum praesto ei esse oportebat. Crevit bibliotheca quum Neapolim accessit; et nunc multi heic empti a se inscripti leguntur. Verum quum Gallorum adventu in Patriam eos tutum, ut putabat, in locum traduxisset, capta a Consalvo Corduba Patria (4), et Par-

(1) V. epist. LXVI. pag. 183. lib. I.
(2) Epist. CCCXVII. lib. IV.
(3) V. *Orat. ante praelect. in Epist. Cic. ad att.*
(4) Anno scilicet 1496, ut ex Muratorio deprehendimus. V. Annali ec. T. XIII. pag. 392. ed. Nap. 1785.

rhasiani libri pessumdati sunt: secundo enim, se amisisse Bibliothecam ait, *quum Patriam diriperent meam.* Restaurata iactura est Lupiis, Neapoli, Consentiae. Verum quum tum Grammatici frequentissime codices, praesertim veteres versarent, et penes se alienos, ut conferrent, vel legerent, haberent; facile fieri potuit, ut quum Parrhasius Romam petere cogeretur, multos in sarcinulis libros codicesque deesse comperiret, et sic ab eis libri eius tertio surriperentur, *qui pluris utilitatem, quam depositi religionem facerent.* Neque sane quarta librorum iactura ab ista diversa fuit. Multos sane Romae libros et codices emit: verum multos et amicis commodavit, ut celebrem illum Lycophronem penes Laurentium Venetum (1), penes quem vel per multos annos, vel fortasse perpetuo mansit. Quum vero trepidus et festinus Roma discederet, fieri bene potuit, ut multi ea de causa vel non quaererentur, vel non redderentur. Quum autem quinto Bibliotheca Parrhasiana pessumdata fuerit, vidimus nempe cum a Gallis, Germanisque, qui Venetiam infestabant, eum qui Patavio excedebat omni fere supellectili spoliarunt (2).

§. XXII. Hanc vero Parrhasius ita per decennium fere exornavit et instauravit, ut vero una e nobilibus absolutis bibliothecis existimari potuisset. Quamobrem quem immatura se morte abripi praesentiret, virum doctum et de se optime meritum, Antonium Seripandum suum et de scriptis et Bibliotheca omni instituere heredem decrevit. Erant sane Parrhasio duo nepotes ex fratribus filii, et ii quidem et optimis moribus, et artibus impleti, ut magnopere a Cyminio laudarentur (3). Verum quum adhuc adolescentes essent, et res familiaris tenuis, iure verebatur Parrhasius, ut et libri, et scripta brevi inopia disperderentur, et asse venumdarentur. Neque porro spes aliqua erat, si in eorum manibus manerent, ut scripta sua aliquando in lucem emittenda fuissent. Morti ergo proximus Janus, testamanto confecto, he-

---

(1) V. Comment. in Rapt. Proserp.
(2) V. P. I. §. XXIX. pag. 87. et seq.
(3) V. Epist. cit. ad Card. de Accoltis, ante *Comment. in Art. Poët. Horat.*

redem illum ex asse constituit, qui et libros sarctos tectosque servare posset, et scripta sua in vulgus quam primum edere. Certe omnes qui de scriptis Parrhasii loquuti sunt, certa visi sunt in fiducia esse ab isto herede typis vulgata quamprimum recipere; *Quos libros*, Martyranus ait, *ut par est, ingenti literatorum expectatione, ubi commodum erit in lucem dabit: Parrhasium enim ut vivum, ita nunc communi mortalium fato defunctum et colere, et ornare non desinit.* Nicolaus Salernus.

— ni fatum providus haeres
Triste premat, rapiatque suum de nocte silenti
Parrhasium: haud vereor, faciet, venerabile namque est
Nomen amicitiae, numquam patietur ut Aulus
Perpetua meritae fraudetur laude coronae;
Nec sinet incassum vigiles tot abire labores.
Sic ego perdocti videor praenoscere mentem
Haeredis, dignus studiis succedere tantis
Qui fuit: aeternae Jani post funera famae
Consulet, et cunctis secum celebrabitur oris (1).

Parrhasio autem defuncto longe aliter, ac is vivus constituerat, evenit res. Nam quum heres abesset, neque aliquis vel propinquus, vel civis e re sua putasset servare ea quae vel Neapolim, vel alibi adducenda erant; et scripta et libri abstracti, et subrepti sunt maxima ex parte. Cyminius quidem ab nepotibus Parrhasii Charisii excribendi potestatem habuit (2). Bernardinus Martyranus porro: *omnes pene*, ait, *Parrhasii vigilias, vix eo defuncto, rapacissimis unguibus occuparunt. Et quum ipse a Patria tunc abessem, nec tantam iniuriam propulsare possem, actum profecto de iis esset, funditusque occidissent ni. . . .* etc. (3). Seripandus autem ut haec scivit, hereditatem suam et vindicare, et adire decrevit. Quamobrem una cum docto et familiari viro nobilissimo Decio Apriano Brutios profectus est, quo et subrepta volumina recuperaret, et cuncta secum Neapolim reduceret. Fecit sane magna ex par-

(1) V. Saler. *Sylv. epic.* etc. pag. 140. e seqq.
(2) V. *Epist.* cit. ante *Charis.* editionem.
(3) V. *Epist.* cit. ante *Comment. in Art. Poët. Horat.*

te ; Martyranus sic : *Actum profecto de iis scriptis fuisset, funditusque occidissent, ni Antonius Seripandus vir non minus probitate, quam humanitate clarus, huic obviam pesti prodiisset* (1). Janus Anysius duobus epigrammatis hoc iter cecinit; illud sane ad Seripandum scribens Cholchicae expeditioni comparavit :

Peliaca fertur puppi manus inclyta Regum
Phasidos ad fluctus, Ponti vada caerula nasse
Flores Graeciae, ut auferrent duce Jasone pellem
Arietis auratam, forti data dona Gradivo.
Mortem obiit Phoebi interpres charusque sacerdos
Parrhasius, quem clara ferunt monumenta per orbem.
Haeredem unanimem librorum hic scripsit amicum,
Te Seripande : manu cum lecta insignius auro
Phrixeo, ad donum accesti Lucania in arva.
Arduum opus vigiles fuit expugnare dracones.
Oh cur non comes accessi ! testudine sacra
Pectora mulcissem iuvenum curasque levassem ;
Atque freti Siculi stravissem monstra sopore (2).

Ad Decium vero Aprianum scribebat :

Apri, propago Romulidum inclyta,
Longum parasti cum Seripando iter
Oenotriae in saltus gelidos, ubi

Visisti et

Opes beatas Parrhasii quoque
Missas amico, ex asse legatas Seripando, adeo beatas,
Librorum acervos nobilium, utpote
Illis minores non Philadelphicis (3).

§. XXIII. Parrhasiana autem hereditate vindicata, libros Neapolim secum duxit, suisque addidit ; unicuique autem brevi elogio addito, eum nempe *Antonii Seripandi esse ex Jani Parrhasii testamento* (4). Ipsemet haud diu superfuit, nam

---

(1) V. op. cit.
(2) V. Jani Anys. Sat. lib. V. pag. 93.
(3) V. Eiusd. Poëm. Var. lib. VII. pag. 97, etc.
(4) V. *Catal. Bibl. Lat. MSS. Reg. Bibl. Borb.* ed. Neap. 1827.

pridie Nonas Decembris 1531 et fato suo functus est. Parrhasii vero memor, et ipse testamento iussit ut tanto viro suorum studiorum comiti cenotaphium in proprio gentis suae larario excitaretur (1). Frater Hieronymus, vir qui sanctitate vitae, solidaque pietate insignis, ad maximas dignitates properabat, omnium heres factus est (2). Qui propterea et Parrhasianos, et fraternos, et suos libros in unum contulit: qui idcirco quum in maximum numerum excrevissent, statuit, fratribus suis Augustinianis ad Carbonariam Bibliothecam constituere. Re quidem vera anno 1550 supra gentilitium sacellum, quo fratris ossa iacebant, bibliothecam excitavit, ibique libros omnes disposuit (3); inter quos et praestantia et numero, absque dubio, Parrhasiani antecellebant. Clarissimus Montfauconius: *Haec bibliotheca*, ait, *S. Joannis ad Carbonariam olim Jani Parrhasii fuerat, viri docti, et Demetrii Chalcondylae generis. In multis autem codicibus eiusdem Jani Parrhasii notae eius manu exaratae hinc et inde observantur* (4). Similia his Mabillonius (5). Verum et heic quoque deinceps sensim vel incuria, vel malitia Monachorum deminuta est. Montfauconius sane spectatae fidei vir: *Janus autem Parrhasius*, inquit, *bibliothecam suam Antonio Seripando testamento dedit, inde postea ad Augustinianos devoluta est. Olim numerosiorem bibliothecam a Batavo quodam emtis*

---

(1) Hoc cenotaphium, cuius meminit Caesar Engenius in sua Neap. Sacra, ita habetur,

JANO PARRHASIO
QUOD SOCIUS IN RE LITTERARIA FUISSET
ANTONIUS SERIPANDUS
TESTAMENTO FIERI JUSSIT.

Legitur quoque ap. Mabillonium, cuius V. *Museum Ital. T. I. pag. 108. §. 23. Lutet. Paris Anno 1724.*

(2) V. Mabill. op. cit. ibid. — Andres, *Anecd. Graeca, et Lat.* etc. pag. XXIX. — Giustiniani, *Memorie ec. della R. Bibl. di Napoli*, pag. 50.

(3) V. Eosdem. modo cit.

(4) *Diar. Ital.* pag. 301.

(5) V. Op. cit. ibid. — *Iter Ital.* pag. 110. edit. Lutet. Paris. 1687.

multis codicibus, maiori supellectilis parte mulctatam fuisse accepimus (1). Quot porro non desunt a Chioccarellii aetate? Ubi diplomata, epistolae, elegiae, carmina reliqua, et alia huiusmodi innumera? Multa quoque subrepta accepimus in perturbatione illa, cui haec princeps Urbs, et Regnum totum obnoxium fuit anno 1799. Quamobrem quo Parrhasiana scripta et libri meliori fide servarentur et tuerentur, paullo post, quum Regia haec nostra Bibliotheca constituta est, in eam quotquot colligi et inveniri potuere translati sunt, ubi sub magnorum virorum tutela illustrandos potius, quam silentio vel tenebris premendos confidimus.

APPENDIX.

Auli Jani Parrhasii

EPISTOLAE QUATUOR ADHUC INEDITAE:

Scilicet duae ad Joannem Baptistam Pium Bononiensem, et duae ad Aldum Pium Romanum.

EPISTOLA I.

Ad Joannem Baptistam Pium Bononiensem (2).

Debeo tibi multum, Pie vir optime, quod ex omnibus qui Mediolani profitentur, unum me tanti feceris, ut iucundissimo lucubrationum tuarum fructu carere nolueris. Equidem doleo quod inpraesentia nihil eius generis in manu sit, ut te remunerari digne possim: dabitur aliqua fortasse copia, quae te legentem fatiget, ut tua me delectarunt:

---

(1) Ibid.

(2) Quamvis hae duae ineditae Jani nostri ad Joannem Baptistam Pium epistolae nullam prorsus anni notam exhibeant, quae lectorem doceat quam in urbem exaratae fuissent: nihilo tamen secius quaedam in eis offendimus, quae bene inspecta et pensitata, rem plane conficiunt. Eae enim, ut lectoribus nullo negotio patet, totae sunt prorsus in eiusdem Pii *emendationes in varios auctores*; obiter vero quosdam ipsius Jani casus, alteramque editionem memorant Commentariorum in Raptum. Atqui Pii emendationes in varios auctores in lucem prodierunt *Bononiae apud Joannem Antonium Platonicum de Benedictis, die*

sunt enim quae studiosas impleant aures, animos studiosorum capiant, alant ingenia, quibusdamque velut iniectis aculeis excitent; id quod frequenti praedicavimus auditorio, quod ego non tam benevolentiae erga te meae, quam vero iudicii testimonio datum volo. Nec aliter homines accepisse video; qui si quid inveniunt in tuis *Observationibus*, quod offendat, a me qui probaverim, velut ab auctore, rationem quaerunt; omnia rimantur, etiam per calumniam. Quaedam pro nostro captu defendimus: aliqua sunt eiusmodi de quibus ad te referendum duxi: non enim dubito, quin in tanta rerum notitia tibi ratio constet, et in promptu sit offa, quam cerberi faucibus obiicias, et canum latratus omnino compescas. Quae vitio dant fere sunt haec. — *Diomedea necessitas* unde in adagium venerit, ex auctore Graeco Zenobio declaras. Addis et Suidae testimonium verbis abs te Latinis hunc in modum: *Diomedaea necessitas proverbium a Tydeo vel a Thrace* (1). Negant hanc ex fide interpretationem videri, dicendumque fuisse *a Tydei* (idest a filio Tydei Diomede), *vel a Thrace* (2) quoniam graece sit ἀπὸ τοῦ Τυδέως, ut intelligas patrem, sicut in illo Maronis: *Deiphobe Glauci*, filiam nos intelligimus. Contendunt apud Suidam nullam extare rationem quod Ulysses et Diomedes, subrepto Palladio, navigarint, ut abs te traditur. Habes Suidae monimenta (3); rem pro tua sollertia considera.

X. *Januarii, anno 1505*; et Commentarii in Raptum (quorum *duas* tantum *decurias redivivas* Janus dabat ad eumdem Pium) Mediolani, ut dictum est (P. I. §. XXIII. pag. 67. et §. XXIV. pag. 70.), sub incudem revocati fuere pridie *Idus Decembris* 1504, e praelo vero dimissi *anno Domini 1505. die XXVIII. Augusti*: iure ergo hoc ipso anno 1505, et quidem mense Januario, vel ad summum Februario datas fuisse istas epistolas tenendum est. — Heic tamen lectores monendos arbitror, foede corruptas in quibusdam locis, et depravatas, inscitia quidem et imperitia librarii, easdem epistolas ad nos pervenisse; pleraque me in eiis emendasse et restituisse. Quod si vero quaedam adhuc offendent clariori luce quodammodo indigentia, me sciant oportet castigantis non auctoris munere functum, Davique, ut dicitur, non Aedipi personam egisse.

(1) V. Jo. Bapt. Pii *Adnot. in Varios Auctores*. Cap. I. edit. cit.

(2) Hanc emendationem profert quidem Pius in suo *ad Lectorem* monitu: attamen eam a Parrhasio datam non dicit.

(3) V. Suid. Lexic. Graec. Lat. T. I. pag. 596. edit. Can-

Faciunt in illo negotium quamquam (mea sententia) leve; quod apud Lucretium *signa manus dextras* (1) acceperis ut acusandi casus, quum sit, ut ipsi volunt, genitivus antiquo more declinatus, ut *Maiae*, *familias*, et id genus alia quaedam.

Nevii carmen ἁπλῶς interpretandum putant (2), ut accipias eo relegatum ire nequam servum, ubi arma, agendis trusatilibus molis, vel alio operi addictus, in manus inspiciat, non in terram; vel omnino teste non despuat aridis a labore faucibus. — *Doliola* qua sanna derideant, ne dolori tibi sit, ommittimus.

Desiderant et in eo memoriam illam tuam, qua maxime praestas (ut audio), ubi, restituto codice Varronis in verbo *Clypeare*, carmen ex Pacuvio citas (3); idemque mox Ennio tribuis in eodem capite; sicut infra libellum *de grammaticis* Svetonii simul et Plinii titulo attestaris.

Papiniani *molorchi* compositionem quasi nimis asperam coactamque cum stomacho respuunt, vel in gratiam Suidae, quem abs te imperitiae damnatum non facile ferunt (4). Falco iure tibi grammaticus, et utrique nostrum familiaris id affirmare sanctissime potest.

De *Juvenalibus* ab Dione, dissentiunt in eo, quod instituta suspicantur in gratiam tantum principum, non vulgo omnium, ut ipse videris accipere (5).

Mirantur et illud, te nescio cuius Annii somnia adnotare in testimonium pro Fabio Pictore, Catone, Semproniooque; quum multa extent argumenta, quibus illa non Catonis, non Fabii Pictoris, non Sempronii scripta esse convincantur, sed a cuculato flamine, abundante, ut apparet, ocio conficta; aiuntque extortam sibi veritatis confessionem, ... quorum suspiras, ex omnibus Catonis scriptis, velut a naufragio, libellum *De re rustica* enatasse.

---

tabrig. 1705. — De hac *Diomedea necessitate* videsis *Desiderii Erasmi Chiliad.* in op. cui titulus: *Adagia, id est proverb. paraemiar. etc. Collectio* pag. 331. edit. Typis Wechelianis, 1629.

(1) V. Pii *adnot. cit.* Cap. V.
(2) Cap. XI.
(3) Cap. XVIII.
(4) Cap. XIX.
(5) Cap. XXI.

Palladii versus anxie nimis abs te explicari indignantur, ut illud :

Ardet ut in sterilem, vel cadit acta gradum (1).

Incommode enim ad incessum referri, cum genus (ut asseverant) pulchre conveniat, quod ex equa aselloque muli gignantur tertii cuiusdam gradus, et generis infoecundi.

Dii boni! quibus Elephantida (2) poëtam tuum sibilis explodunt auctoritate nulla suffultum; quin et graeca ratione (ut ipsi dicunt) omnino refragante, quod eius inclinamenti nomina masculini generis esse non possint. Attuli in medium pro te duo nomina . . . . . et *Nabis* · quorum alter Olympionices apud Pausaniam legitur; alter Lacaedemonum tyrannus in Livio (3), Plutarcho (4), Floro et ceteris. Quid quaeris? Adeo exarserunt in me, ut graecas nescire litteras omnino contenderent. Adii Demetrium, ut in te tueretur auctoritatem suam; negavit se quicquam meminisse super ea re.

De *Cingalo*, quo pacto nos explicemus haereo. Suidas ait avem esse exilem et emaciatam quae, quod parum corporis habeat, inde natum proverbium: *Cingalo mendicior* (5).

De *Portitore* (6), ne causam meam potius agere videar, illud unum inpraesentia scribam, melius te facturum fuisse si ita praecepisses: portitorem, quemdam vectorem significare; sed non tabellarium: proinde parum latine *literarum portitorem* dici. Ne male sciolis ansam praebeamus; qui negat inficiari posse, quin apud Lucanum, Columellam, Martialemque *Vector* intelligatur Helles portitor, ut apparet etiam coecis, nisi fucum facere in re manifesta velimus? — In eo quod asseris, Herculem coturnicis esu servatum, reclamant, quod a Didymo Tarrheoque tuo discesseris (7). — *Nesten Empedocleam* (8) non recipiunt inter Deas; eoque a collegio potissimum consecratam non legerint. — *Pesinuntis* etymologia,

(1) Cap. XXXV.
(2) Cap. XLI.
(3) V. Titi Liv. Op. lib. XXXII. Cap. XXII. et alibi.
(4) V. Plutarch. in *Philopoemen*.
(5) V. Suid. op. cit. T. II. pag. 312. — Bapt. Pii, op. cit. Cap. XLII.
(6) Cap. XLVIII. et CLIII.
(7) Cap. LIV.
(8) Cap. XCII.

quam mutuaris ab Herodiano, non indiget (iniuria) tuo parergo, quod scribat inditum loco nomen, vel a signo matris Deorum coelitus eo delapso, vel ab his, qui conserta inter Ilium . . . . . pugna, illic ceciderunt; utrique *απο τοῦ πεσεῖν*. — Harpaginem vero nihil ad rem facere. — Sed et *venerarius* apud Tertullianum, non minus ac apud Callistratum (1) sordet his, quibus sua tantum placent. Non enim tam levi per illa tempora culpae capitis supplicium convenire existimatur. Itaque utrobique *venerarii* malunt legere. — *Λαμπαδῶν* solenne non idem Promethei Sacris, et Cerealibus esse, Harpocrationis auctoritate probant, et Suidae (2). — Tumulos ex apio tantum coronari, tecum sentiunt apud Graecos: sed Romanos ex omni florum genere facere solitos, extare antiquarum spectationum in lapidibus elogia. In his legi: *M. R. S. . . . N. liberalitate donavit sub hac conditione, ut quotannis rosas ad monumentum eius deferant, et alterorum manibus uxoris ita bene precari...* hac sibi Cibelles suis et rosa grata Dione (3). Ciceronem praefertur solitum queri Catilinae sepulchrum floribus ornari; nam illud ex Plinio nosti Scipioni florum honos. — *Troëgenios* in prima Syllaba diphtongo oportuisse scriptos aiunt (4): sed erratum librarii velint nolint agnoscant. — Ibi vero totius caussae fundamenta corruunt, Academicorum secundum titulo *Hortensii*, abs te non castigari, sed inverti, reposita *regione* pro *legatione* Scipionis Asiatica, quo tempore philosophis operam dabat; et *delassati* pro *diffisi* sint, ibi stando: quod emendatur, legitur in Xisto (5), aliaque perplura quae volumen occuparent. — Nam Massilienses a Phocide Boeotiae colonos esse refellunt Isocratis et Aristotelis auctoritate, qui profectos affirmant ab Asia (6). Nec illud absque naso reiiciunt *vehere* et *transfetare* non pro. . . . *portare*, quod a Caesare in Commentariis identidem scribatur: *portare* et *exportari*, *transmeare copias*. — Aegypto fuisse nomen adultero Clytemnestrae tum credituros aiunt quum testem dederis (7). — Aliquid interesse contendunt inter Ausonii Persiique

(1) Cap. CX.
(2) Cap. CXIV. — Suid. op. cit. T. II. pag. 412.
(3) Ita legitur: Sed locus longe corruptus videtur
(4) Cap. CXXXIX.
(5) V. Pii op. cit. *Emendat. in M. Tullii Cic. opus ad Hortens.*
(6) Cap. CLV.
(7) Cap. CLXXX.

pupas (1); idque syllabae diversa ratione demonstrari. — Iactant in angulis et alia, quae nos occupati cottidiano profitendi munere non excepimus: ea sibi, perscripturi ad te omnia, receperunt Domitius Falco, Petreiusque Caesenas amantissimus tui, qui mihi fuerunt auctores, ut ego quoque tibi significarem si qua ad me rabulae detulissent, ex iis quae in tuo opere abs se deprehensa gloriarentur. Invitus (ut ingenue fatear) eorum voluntati morem gessi; quod mallem bonorum tibi studia nuntiare, quae multa maximaque certe sunt, quam improba obtrectatorum maledicta. Sed ii te admonendum existimabant; neque hic esse quemquam qui rectius has sibi partes, praeter me, sumeret, affirmabant; teque mea auctoritate motum iri, ut ea non negligeres. Id si vere narraverunt, et ita tu statuis, amici officio me functum, et operam lusisse non putabo: sin aliter accipies (quod nollem), constrictum me solabor; et illud, quod ab optimo haec animo profecta esse iuratus affirmare possum. Quam vellem ut praesens intuereris quanta contentione te tuaque defendam. De meo certe erga te amore nunquam dubitares. Sed eum aliquando fortasse tibi probabimus crebitate et magnitudine officiorum, si nunc iniquo meo tempore non licet. Obruimur enim fluctibus invidiae, quae nescio quo modo supra nostri ordinis homines undique flagrat, adeo ut nuper etiam necesse insidias mihi struxerint. Siquidem quum a coena cuiusdam senatoris domum me reciperem, ex ictu lapidis in capite vulnus accepi; ex quo vitae dubius aliquandiu laboravi. Inde effectum est, ut haec ad te serius, quod destinaveram, perlata sunt. Hieronymum quem proximis litteris mihi commendaveras, amplector, ut par est eruditissimum iuvenem; et omnia denique Pii, quem loco fratris germani habendum duxi. Atque ut idem tu facias, etiam atque etiam rogo. — Tuus uti sum, Janus Parrhasius.

EPISTOLA II.

Ad eumdem.

Redditae mihi sunt abs te, doctorum doctissime Pie, pu-

---

(1) Cap. CXCVIII.

tatis et ingeniorum fons uberrime, quales expectabam, plenas eruditionis et officii. Sic enim confutas adversarios, ut deiicias a tota area. Jam negotium mihi facere desinent; aut si molesti esse pergent, habeo Minervae clypeum quo me protegam, falcem Mercurii, qua vulneribus importunos afficiam. In Diomede tandem silent: in *Cingalo* nondum tamen aliquem finem statuunt, a me conviciose toties excepti. De *portitore* facile tibi credo.... quum praesertim Laureoli crucem testeris, in qua carbonem (nisi fallor) affigis; et putri nota totidem fere verbis signas impudentiam eius aliena pro suis ostentandi, conviciis dumtaxat additis ex suo (1). De Claudiano nihil a Petreio falsi. Sub incudem revocatus in manu nunc est. Ecce redivivas iam decurias ad te duas misi; reliquas deinceps. Eas tamen lege, nec prius admittas ad osculum, quam diligenter excusseris, an dignas hospitio tuo veniant. Omitto iocos et ambages. Is ego, Pie frater optime, sum, qui neque serio blandiam amicis, neque mellifica capiar oratione. Novi libertatem in te Quintilii, doctrinam Varronis, Horatii iudicium: velim penitus exuas amicum, censoris personam sumas, et quidem serverissimi. Nihil abs te gratius hoc tempore mihi posset accidere, quam si quid emendandis lucubrationibus in Claudianum meis adiuveris. Et potes et debes, quoniam semel affectu fraterno vincti sumus. Expende scrupulosius omnia, curaque ut intelligam siquid est quod offendat. Adhuc integrum nobis est in operis . . . . ., Hermolai tuoque et aliorum exemplo castigare.

De Elephantide inter illos et te convenit; nisi quod illi poëtriam, tu poëtam fuisse contendis: in quo Demetrii fidem suspectam tibi esse doleo. Sed illud abs te peto posthac, et eius aetatis et affinitatis initae mecum gratia, de Demetrio parcius: in eo, praeterquam quod rem mihi gratam feceris, officio tuo satisfacies. Usus es enim eius auditorio, ut accepi; et ipse de te bene sentit et loquitur: in quo velim potius mihi credas amico, quam bilinquibus et utriusque malevolis. — De *pupis* extorquere nihil equidem potui. Quae de te praedicavimus, et nullo fere non die praedicamus, ex animi iudicio proficiscuntur; et illud iis, quae de te dici possent, addendum arbitror, quod eadem homine de egregiis studiis (ut siquis alius) optime merito longe minora sunt;

(1) Mancus est iste locus, ac proinde obscurus.

et ingenua parum videri non propter voluntatem, sed orationis inopia, quae laudem tuam deterit. Sed ea per se tanta est, ut alicuius praeconio non egeat. Quod autem me tanti facias, ut non solum cogitatione, sed convitio verberes eos, qui in nos se praebent iniquos, agnosco humanitatem et benevolentiam erga me tuam. Solus est Sol, et inde nomen . . . is extingui nisi a cunctis non potest.

Dii te musis incolumem servent, et Italiae sol tibi excidet numquam. Nam donec supertes erit Pius, aliorum quidem iacturam dolemus; et nos etiam tangunt mortalia: sed facile ferimus; ut inpraesentia . . . . qui maius certe sui desiderium nobis reliquisset, nisi Pius, alter aetatis nostrae Nigidius, instar haberetur omnium.

Risi de Julio et Musca Appula, perque gratum fuit audire quid de utroque sentires. Aestas et anni suum tempus excitavit Appulam Muscam. Sed (ut spero) non agam Aesopi calvum; nec expectabo hyemis adventum: paucis ictibus conteram. Quis non illud usurpet? Arborem suspendio eligendam, si postremus impressorum non erubescit alienos labores pro suis edere. Toto iam triennio bellum Livii Macedonicum frequenti professus auditorio contractis exemplaribus, et excussis utriusque linguae scriptoribus, per summas vigilias emendavi, mature daturus in lucem. Sed is a me dictata intercepit, et ita castigatum Livii codicem, plagiarius impudentissimus, emisit. Habeo paratam editionem cum testimoniis et elogiis auditorum, quam paullo post ad te proferendam curabo. Tu velim interea per occasionem sic hominis furta promulges, ut omnes intelligant ea tibi non probari. Quod nisi fecerint omnes docti, periculum est, ne isti fuci mellificationem perturbent. Qui enim studiorum laborem ferat, ubi se fructu fraudari viderit? Incidi iam in suspicionem, ex illa Appii formula, *cui bono esset*, ab eo immissum in me sicarium, quum videret me vivo furta sibi non impune cessura. Sed dabit actutum Diis ultoribus poenas, qui nefarios eius conatus irritos esse voluerunt. Equidem bonis omnibus acceptus vivo. Larvas (ut recte mones) aspernor. Illud grave, in tanta gladiorum licentia versari. Sed quantum poterit, humana ratione cavebimus; alia Dii curabunt. Nec ita adeo securi bonorum sunt, ut . . . . ., cum solum vertendum sit: habemus adhuc integra principum studia. Non

minus acerbam de meo percussore senatus habuit quaestionem, quam si quid in ordinis sui quempiam molitus esset. Una migrandi sola ratio mihi probari posset, ubi cum meo Pio vivere liceret in studiis literarum. Nihilominus ago tibi gratias et immortales qui de mea salute sollicitus adeo sis, ut ne fratri quidem cedas, Utererque consilio ope et auctoritate tua, si res ita ferret. Cum Bambolione nulla umquam mihi consuetudo: tum accepi proiicere ampullas. De cruce Laureoli quid expectas a me moneri? Putabam clamores ad te iam pervenisse, quum tortoribus hinc et inde Graecis torqueatur. An ignoras hominem torqueri discendis elementorum notis? Emittit in coelum voces. Eaut, et postea se nobis comparent ii, qui contriverunt in iis studiis aetatem, nihilque proferunt graece, quum nihil graece sciant. Denique prae se uno, contemnit omnes; imprimis te et tua, in quem se totum comparat, ut accepi. Tu vero quanti facias ineptias hominum nescio: certe ego pingui rhetoras aqualicolo non pluris facio, quam umbrae somniorum. Quid ille ad ingenii doctrinaeque tuae praestantiam? Feles ad Minervam. Pergamus itaque qua coepimus, et collatis viribus anseres ab Academia fugemus. Erit Jano facillimum, si Pius accesserit; et fortasse Janus ad eam rem Pio non erit inutilis. Itaque uterque invidiam superabimus. Ac ut intelligas haec ex animo fideque dici, incipiam uti beneficio tuo, quo te ut idem facias invitem. Ex scriptis et Observationibus tuis exquisitissime scrupoloseque elaboratis, accepi penes te Caesarum vitas esse duodecim ex Dione translatas a Merula, Verriumque vel ut alii scribunt Velium Longum de Orthographia. Si curabis ut ea non desiderem, dabimus et nos operam, ne te poeniteat; sive placeat habere reliquas eius auctoris a Demetrio versas in latinum vitas, sive Probi Catholica, sive quid aliud ex iis, quorum copia nobis est, sit arbitrium. Opera Godri, de quibus egit tecum Petreius, expecto: pecuniam numerabo si iusseris. Opto te valere, mi Pie, et tuos omnes, immo nostros, quibus etiam ignotis, a me salutem dicas velim.

EPISTOLA I.

Ad Aldum Pium Romanum.

Aulus Janus Parrhasius Aldo Pio Romano S. P. D. (1).

A musis oportet absit et a Gratiis, qui te non amat, ad promerendos homines utriusque linguae natum. Tu graecos,

---

(1) Quas nunc do, Parrhasii ad Aldum epistolae, eodem sane vitio quo praecedentes laborant: quippe nulla istis quoque inest anni locive nota; neque editas fuisse liquet: quin etiam earum alteram haud integram, sed principio haud fortasse paucis mutilam, prout quidem habui, asseram in lucem. Verum res quamvis ita prorsus se habeat; eas tamen anno 1514 desinente, et quidem Romae elucubratas puto, qua tum spectatissima in urbe Parrhasius publice oratoriam profitebatur; et id quidem tribus argumentis. 1.° Se adsiduo docendi munere distineri in ipsis scribit noster; et de lusibus in Priapum agens: *Carmen obscoenum*, ait, *Maronis*, *aut unius certi poëtae non esse*, *pluribus abhinc annis quum Mediolani profiteremur*, *ostendimus*. Atqui si eas Vincentiae dedisset, quemadmodum et alteram, quae inter epistolas *clarorum Virorum* editas Venetiis anno 1556 habetur; nunquam profecto sic loquutus fuisset Janus; vix enim annus, vel si id quoque mavis, biennium erat, ex quo Insubriae finibus egressus, in eam urbem concesserat. 2.° Quia Aldus in epistola ad Bembum ante Virgilium editum anno 1514, tum se huius poëtae lusus ait impressurum, quum correctissima eorumdum exemplaria, quae ipsi Bembo erant, accepisset; et Naugerium, qui in emendando Virgilio incumbebat, pluribus exornat: nullam vero Jani, nullam castigationum eius in ea mentionem offendimus. 3.° Andreas Asolanus Aldi socer, et in munere typographico successor, Venetiis anno 1517 edidit: *Diversorum poëtarum in Priapum lusus*, *P. Virgilii Maronis Catalecta*, *et alia nonnulla*, *quae falso Virgilii creduntur*: atqui hoc titulo relatam Jani de *Obscoeni carminis auctore* sententiam exprimi videmus; insunt praeterea hac ipsa editione omnes in iisdem carminibus Parrhasii emendationes, prout sedula collatione notavi: dicendum est igitur, epistolas a nostro anno 1514 desinente elucubratas; Aldum prout Janus emendaverat, illa poëmatia castigasse et ad editionem parasse; sed eo mature vivis erepto anno 1515, pridie nonas Februarii, Andream Asolanum ea sic exornata et parata (quemadmodum de quamplurimis aliis scriptoribus constat) typis excudisse. Neque autem negotium facessat, quod ad fidem

tu nostros ignotorum antea codicum suppellectili locupletasti (1): tu bonarum artium parentem vitaeque ducem philosophiam, publicatis Aristotelis, Aristotelicorumque commentariis, a situ vindicas (2); in quo veriorem tibi laudem comparasti, quam Teius Apellicon (3), tum quod in longe plura diffuderis exemplaria, tum quod ipse de tuo nihil addis, ut ab illo factum dicitur (4). Incredibile quidem dictu, te studiosius agere posterorum negotium, quam diligentissimum quemque patrem familiae suum. Sed illud longe magis, quod in tantis occupationibus anxie rimaris omnia, nec domestico iudicio contentus, ad amicos etiam refers, ut nuper ad me de Virgilii iuvenilibus, ita nampe plerique vocant ea poëmatia, quibus ingenii tirocinia deposuit. Ego vero, tametsi non plus ocii, quod quivis alius, adsiduo docendi munere districtus habeam; tamen officium abs te meum desiderari non sum passus. Utinam ceteros exemplum moneat, ut quisque pro sua virili parte hanc etiam rei literariae provinciam capessat, ut aliquo te labore levet; sic enim graecae latinaeque per te disciplinae pristinam dignitatem brevi recuperabunt. Ast quia magis hoc optare, quam praestare licet, ut cessent alii, si minus rem, voluntatem tibi certe meam probabo.

---

codicum. Bembi hanc editionem curatam dicit Renuardus (V. *Annales de l' imprim. des Ald.* T. I. ann. 1514.) : quippe citata epistola ad Bembum, cui uni, ut mihi videtur, ille innititur, Aldum expetisse Bembum ea exemplaria prodit, obtinuisse vero non prodit. Quo autem omnibus probetur rem, ut mox dictum est, ita quidem se habere; singulis epistolarum locis, quibus eae castigationes occurrunt, Aldinas lectiones editionis citatae, quae ab eruditissimis Burmanno in Anthologia Latina, et Heynio in Virgilii editione proferuntur in medium, adponendas curavi.

(1) Vid. Renouard, *Annales* cit.

(2) Vid. op. cit.

(3) Vid. Plutarch. *in Vit. Syll.*

(4) Vid. Brucker. *Hist. Critic. Philosoph.* T. I. P. II. lib. II. Cap. VII. Sect. I. pag. 800. edit. Lips. 1767. — Cromaz. *Istoria d' ogni Filosof.* T. IV. pag. 16. ed. Nap. 1787.

Carmen obscoenum Maronis, aut unius certi poëtae non esse, pluribus abhinc annis, quum Mediolani profiteremur, ostendimus. Et Virgilii quidem, quod argumentum a virginali eius verecundia abhorret. Ovidiusque ad Augustum, dum quasi praeiudicio se tuetur, et omnes qui lascivius aliquid ante se scripsissent enumerat, hoc opus, impura rerum verborumque licentia non parum sibi patrocinaturum, praetermisit: id quod facturum fuisse non autumo, si Maronis, quem maximi fecit Octavius, aut alterius auctoritate fultum nosset. -- Abstinuit, inquis, Naso a viventium nominibus, ut ipse de se praedicat:

His ego successi: quoniam praestantia candor
Nomina vivorum dissimulare iubet (1).

Esto — Quid tum? Nonne fato iam functum Maronem cecinerat illo versu (2)? .... Nam quod post aetatem Nasonis obscoenum carmen in lucem venerit, equidem mihi facile persuaderi non patiar. Quum Seneca Nasonis aequalis et condiscipulus, ut indicat in *Partitionibus*, inde veluti ab insigni iam tum poëmate, versum, quum adhuc itaret ad Rhetoras recitatum, dicat, etiamsi memoriola lapsus Ovidio tribuat, ut alibi Tibulli pentametron:

Arida nec pluvio supplicat herba Jovi (3),

vel ab iis deceptus, quibus inquirendi negotium dederat, ut Quint. excusat, vel librariorum negligentia corruptis (ut solent) exemplaribus. Etenim si petulantissimum tamque fla-

---

(1) V. *Trist.* lib. II. v. 570. et seq.

(2) Ovidii versus haeic desiderantur. Sed nos haud perperam coniicimus Janum eos intellexisse, qui paulo post relatos sequuntur, scilicet:

Et tamen ille tuus felix Aeneidos auctor
Contulit in Tyrios arma virumque toros.
Nec legitur pars ulla magis de corpore toto;
Quam non legitimo foedere iunctus amor.
Phyllidis hic idem, teneros que Amaryllidis ignes
Bucolicis iuvenis luserat ante modis.

Quibus sane versibus Virgilium aperte quum innuisset Ovidius, eum iam vita functum omnino dicendum est.

(3) V. Tibull. lib. I. *Eleg. ad. Messal. in diem eius Natal.* v. 26.

gitiosae nequitiae carmen hoc erat ab Ovidio compositum, quod ex illo Senecae sequeretur, iustius hinc in exilium, quam ob editas artes agi potuit (1). Nisi putemus hanc alteram fuisse caussam quam velat, ipso tamen aliud nescio quid ubique praetendenti, ut in iis:

Cur aliquid vidi? cur noxia lumina feci (2) *?*
Cur imprudenti cognita causa mihi est?
Inscius Actaeon vidit sine veste Dianam:
Praeda fuit canibus non minus ille suis (3).

Aspergitne hic, rogo te, vel minimam suspicionem carminis obscoeni? Certe nullam. Quare si neque Maronis est, quippe quae molliuscula lusisse carmina a Caecilio Secundo dicitur, ea *Catalecta* sunt, quae Fabius Quintilianus, et Ausonius habebant in manibus; multoque minus Ovidii. Restat id esse, quod ego suspicor, nempe in hortos Maecenatis, Historia Tranquilli (4) perpetuaque iam inde fama celebres, alios aliosque poëtas animi gratia ad epulum venire solitos, ista parietibus aedis Priapi salacis per iocum notavisse. Quam opinionem ii versus affirmant:

Ergo, quidquid id est, quod otiosus
Templi parietibus tui notavi,
In partem accipias bonam rogamus.

Et illi:

Quisquis venerit huc poeta fiat,
Et versus mihi dedicet iocosos

---

(1) Jodocus ergo Badius, qui, Senecam sequutus, non Virgilium, sed Ovidium fecerat Priapei carminis auctorem, ex Jani sententia, prorsus fallatur oportet: quamvis vero, quo suam opinionem tuaretur, quampiam in iis versibus atque in illis Ovidii *germanam lasciviam*, *et ipsum stylum* se quoque deprehendisse Badius fateatur. Vid. *P. Virg. Mar. Op.* pag. 2017, et seq. edit. Basil. 1613. — Vide sis hac super re Fabric. *Bibl. Lat.* T. I. pag. 262. et seq. edit. Venet. 1728.

(2) Ita quoque edidit eruditissimus P. Burmannus, scilicet *noxia lumina*, et non *conscia*, ut quaedam edd. habent; quamvis vero *culpa* legat in penthametro, et non *causa*, ut Janus scribit; utpote qui *culpam* ad Juliam neptem Augusti eiusque adulteros referendam esse ratus sit.

(3) V. Trist. lib. II. v. 54, et seqq.

(4) V. Svet. Tranquill. *in Tib.* T. I. §. 15. pag. 353. edit. Aug. Taurin. 1823. — Vide quoque Tacit. *Annal.* T. II. lib. XV. §. 39. pag. 555. edit. etiam Aug. Taurin. 1820.

Ulterius pergere pudore impedior. — Et infra :

Quicumque vestrum qui venitis ad coenam
Libare nullos sustinet mihi versus.

et cetera quae notiora sunt, quam vitae expediat. Praeterea malus excusat se apud colonum, quod infoecunda biennio iam fuisset, hoc accidere, quia carmina pessimi poëtae

Ramis sustineat laboriosis :

ubi manifeste extat aemulatio diversorum inter se poëtarum, qui pro suo quisque captu carmina, veluti ex symbola, conferebant. Alioquin stultum sit unum putare, eumdemque poëtam sibi ipsi maledicere. Unde igitur tanta stili germanitas? Ovum ovo tam simile non est, ut in iis omnibus epigrammatibus dicendi genus. Ex epistolis apud Ciceronem familiaribus intelligi datum, hoc eruditissimi saeculi felicitate contigisse, quando maximus ingeniorum proventus, indulgentiaque Maecenatis et Principis excitata studia florebant, nullaque Barbarorum colluvio Romanae linguae dignitatem dehonestaverat, ut secutis temporibus accidisse refert in Epithome Verrii Pompeius, et nos experimur, occupata a Barbaris Italiae florentissima parte ..... Epirotisque et Dalmatis ad scribendum tam impudenter irrumpentibus, ut omnia omnium praeripiant, et pro suis edant, ut hanc observatiunculam frequentissimo a nobis auditorio promulgatam, si caruisset assertore. Vale.

EPISTOLA II.

Ad eumdem :

Non me fugit hoc observandi genus ex collatione exemplarium a quibusdam irrisum, quum iudicio potius oporteat uti. Sed ii sunt qui in alienis operibus quum ingeniosi videri voluissent, ineptias effutiverunt. Equidem si in alterutro peccandum sit, in hanc, quam in illam partem malim; nam minori studiorum iactura quis inoleta iam olim vitia non tollit, aut etiam sequitur, quam sinceram veramque lectionem in deterius interpolat, ut a plerisque factum utinam mentiar. Ego (quod est in me) enitar antiquorum codicum fidei iudicium adiungere; verum si quid inter se discrepabunt, in plerisque vetustae lectioni iudicium postponam. Quod consilium si fuisset aliis, utrique nostrum inprae-

sentia negotium non conflaretur; ut in iis ex ipso obscoene carmine versibus (1).

Igitur officii tui erit, expuncta novitia adulterinaque lectione, pristinam suamque restituere.

. . . . . ubi quae cuique numini dicata memorantur loca. Versus indecentissime delumbatus est hic:

Undarum Teneos aequorisque regi,

quum vera emendataque sit lectio, non Tenos, aut Tenedos, ut quibusdam placuisse video, sed

Undae Taenaros aequorisque regi (1).

Quippe, Taenaros, oppidum, portus et Laconiae promontorium Pherecidi, Straboni, Plinio, Stephano, Neptunum praecipuo cultu prosequebatur, ut Pindari testimonio docuimus in Claudianum (2). Nec ita multo post, eodem epigrammate legere est alterum versum:

Raptam Cocytos ostreosa Divam

quem Domitius et Merula, ceterique post illos infeliciter attigerunt, inusitatissime correpta media syllaba, quae in *Cocyto* producitur apud Homerum, Virgilium, Senecam. Omnes, quodque turpius est, immutato genere, quod esse masculinum sciunt etiam pueri. Siquidem Cocytus infernus amnis, sive idem qui et *Lucrynus* Italice, foeminine nusquam dicitur, ut hic *ostreosa*. Quare tu (si quid in libris Jano credis) emenda

Raptam Cyzicos ostreosa Divam (3).

---

(1) Versus, quos heic citat Parrhasius et restituit, consultus mitto, ut qui sint morum sanctitati adversi.

(1) *Undae Taenaros aequorisque Regi — in utraque Aldi editione* (scilicet anni 1517, et 1534. V. Burmann. op. cit. T. II. lib. VI. pag. 548. — Ex quo Parrhasii epistolae loco apertissime liquet, quod perperam iniuriaque dicitur ab eodem Burmanno *primus* huiusce versus *corrector* Jacobus Constant. Fanensis, eo quod is correctum primus excuderit eum in *Collectan.* Cap. 68. quod Jano non licuit.

(2) *Comment.* in lib. I. v. 14. *de Rapt. Proserp.* ad illa: *Sidera Taenario* etc.

(3) *Cocitos, et Cocytos hostreola — in pluribus codic. idque primas fere editiones Vincentinam, Brix. Venetam, alias occupa-*

nam Cyzicus insula Propontidis ambitum quingentorum stadiorum, duobus pontibus annexa continenti, quotannis φερεφαττίων ἑορτῆς, id est, Proserpinae solemnia celebrabat, in quibus ex ritu religionis hostia furva mactabatur, scilicet pulla ac nigra bos, ut in Lucullo Plutarchi tradit Historia, Appianusque in Mitridatico. Raptae etiam Proserpinae fabulam apud se gestam volebant (Ciziceni), ut Ennaei in Sicilia, Athenienses in Attica, Hermionaei in Argolide: ex quo Propertius Elegiarum lib. III.

Frigida tam multos placuit tibi Cizicos annos,
Tulle, Propontiaca qua fluit Isthmus aqua.
Dindymus et Sacrae fabricata inventa Cybellae,
Raptorisque tulit quae via Ditis equos (1).

De Cyzico superiora et longe plura Strabo (2), Pomponius Mela (3); Plinius (4), Florus (5), Apolloniusque Rhodius (6); et C. Balbus *Ostreosam* dixit ex historia. Totus enim Propontidis Hellespontique tractus ostreis abundat. Ennius in Hedisphageticis, quorum meminit Apuleius:

Mures sunt Aeni, aspera ostrea plurima Abydi (7).

Cicatricosus et ille hendecasillabus est:

Quaedam senior Hectoris parente.

Quem qui castigavere *Serior*, habuerunt illi quidem maiorem syllabae rationem, quam Latinitatis, et ioci. *Serior* idonea suaque significatione, grandior natu non est, sed qui longe post aut venit, aut vixit, aut quid aliud egit. Ubi sunt isti

---

vit . . . Et iam Aldus in utraque editione dedit: *Raptam Cyzicos ostreosa Divam.* V. Burmann. op. cit. pag. 550.

(1) V. Eleg. XXI. lib. cit.

(2) V. *Geograph.* lib. XII. pag. 385. edit. Basil. 1539.

(3) V. *De Situ Orbis*, lib. I. Cap. XIX. pag. 95. edit. Lugd. Batav. 1722.

(4) V. *Hist. Natural.* T. I. lib. XIII. Cap. I. pag. 679. T. II. lib. XVII. Cap. XXV. pag. 88. Lib. XXXIII. Cap. II. pag. 549. edit. Paris. 1741.

(5) V. *Rerum Roman. Epit.* lib. III. Cap. V. pag. 102. In usum Seren. Delph. edit. Venet. 1715.

(6) V. *Argonaut.* lib. I. v. 949, 962 etc.

(7) V. Burmann. *Antholog. Lat.* T. I. lib. III. Epigr. CXXXV.

qui veterum codicum fidem elevant? Ecce in iis argutissime scriptum, *quaedam iunior* adnotavi (1). Sic enim magis illudit anui, quam si aperte decrepitam compellet. Ita Martialis etiam in Philoeni epitaphium:

Saecula Nostoreae permensa, Philaeni, senectae,
Rapta es ad infernas tam cito Ditis aquas!
Euboicae nondam numerabas longa Sybillae
Tempora: maior erat mensibus illa tribus (2).

Inopinatum ioci genus est, quod opinionem decipit, idque plurimum habere honestatis scribit Fabius; quale est quod refert Cicero: *quid huic abest, nisi res et virtus?*

Cur geniali suo carmine *Cupae* titulum Maro fecerit, ab iis etiam qui doctrinae nomine gloriantur ambigi video: nos ex Flavio Sosipatro videmur assequuti. Is *Institutionum grammaticarum* primo scribit hunc in modum: *Communia Cupo, Cuponis, Fullo, Fullonis, quamvis Virgilius librum suum* Cupam *inscripserit*. Itaque tu *Cupa* pro *Copa* substitue: vel si placet, ob *O* et *U* vocalium cognationem, *Copam* relinquere, nihil impudio; dummodo non ancillae, sed ministerii nomen accipias; ut argumento quoque genus est a *Syria* diminutive masculinum *Syriscus*, ut apud Terentium, et foemininum *Syrisca* (3). Sic autem plerisque omnes ex Syria Caupones erant, ut hodieque Bergomates. Lucilius in III. *Caupona hic tamen una Syra*: hac etiam de causa *Caupo* duplicato nomine Juvenali *Sxrophoenix* appellatur (4). Apud auctorem quemdam Graecum legere etiam memini; *Phoenicas* omnium primos instituisse foenerari, in eumque usum excogitasse literarum notas, et inde *Cauponas* et *poëtas* appellatos.

---

(1) Burmannus in op. cit. lib. VI. pag. 488. edidit. — *Quaedam serior Hectoris parente*; et quidem ex lege carminis, quod secus claudicaret, si *senior* haberet. Placuit ea lectio Scaligero, probata quoque fuit Scriverio. Sed *in editione Aldina 1517. iunior* legitur; scilicet prout Janus restituerat, et probaverat.

(2) Epigr. XX. Lib. IX.

(3) V. Terent.

(4) V. Satyr. VIII. v. 159. et seq. qui sic se habent:
Obvius assiduo Syrophoenix udus amomo
Currit, Idumaeae Syrophoenix incola portae.

Non parum festivitatis amiserunt aliquot ex ipso poëmate versus audaculorum temeritate corrupti. Nam quisquis insubita non est aure, magis ei blandietur:

Quam potum bibulo decubuisse toro,

quam, ut nunc est, *quam potius* (1)? Sed hoc ignoscendum prae flagitio, quod sequitur

Sunt Cupae, Calices, Cyathi, rosa, tibia, Chordae,
Triclinia umbrosis frigida harundinibus.

Exploratae fidei codices habent, partim: *Et Trachila*; partim

Et trichila umbriferis frigida harundinibus (2).

Quo verbo Columella Moderatus utitur (3):

At qui sub trichila manantem repit ad undam.

Quid autem significet Trichila ex C. Caesare discitur. *In castris*, inquit, *Pompeii videre licuit Trichilas stratas, magnum argenti pondus expositum, recentibus cespititibus tabernacula constrata* (4). Quae Plutarchus Asinii Pollionis auctoritate exponit: *πᾶσα γε σκηνὴ μυρσίναις κατεστεπτο, καὶ στρωμναῖς ἀνθιναῖς ἤσκητο, καὶ τραπέζαις ἐκ πωμάτων μεσταῖς καὶ κρατῆρες οἴνε πρὔκειντο*, etc. (5). *Siquidem omnia tabernacula myrteis redimita sertis, et recentibus constrata floribus; ingens poculorum vis, et vino crateres expositi.* — In hoc arrogantia, in illud incuria peccatum:

Fistula pastoris rustica more sonat,

pro *in ore* (6).

---

(1) V. Burmann. op. cit. T. I. lib. III. pag. 707. et Heyn. T. IV. op. Virg. pag. 203. etc. quibus eruditis Jani lectio probata est.

(2) *In codice* Petav. *Et triaclia umbris frida harundinibus.* — *In libro Vossii chartaceo, et vetustis edd. Vicetina et Brixiensi*: *Triclinia umbrosis. In Veneta et Juntina: Triclina umbrosis.* — *Sed iam Aldus edidit: Et trichila umbriferis frigida harundinibus.* V. Burmann. op. cit. T. I. lib. III. pag. 712. — Heyn. op. cit. T. IV. pag. 205.

(3) V. Lib. X. v. 381.

(4) V. Comment. de Bello C. lib. III. Cap. 96.

(5) V. *Vit. Pomp.* pag. 657. edit. Francof. 1599.

(6) Clar. Heynius, op. cit. ubi supra legit: *Rustica pastoris fistula*, pro *fistula pastoris rustica*, ut Jano placuit. Sed in altero hemistichio *in ore* potius legendum putat, quam *more*.

Non diversum a superiore vitium est illatum versui, quem subiungo:

Sunt etiam croceo violae de flore corollae.

Virgilius aliter edidit, hunc in modum:

Sunt et Cecropio vinctae de flore coronae (6).

Sed ut hos dissimulare piaculum sit.

Sunt et caseoli, quos iuncea fiscina siccat;
Sunt autumnali cerea pruna die.

Si rem altius inspicias, ut verius, ita libentius ex antiquorum codicum fide leges:

Sunt et caseoli, quos siccat sirpea fisca,
Sunt autumnalis Cerea pruna Deae (1).

Siquidem Fiscam Fiscinae, Fiscellaeque primigenium esse scis; et sirpeam quae virgis sirpatur, colligando implicatur, in qua stercus aliudve quid vehitur, ut ad Ciceronem scribit Varro de *Lingua Latina* lib. I. Trogus Hist. lib. XLIII. ita scripsit: *His incitatus rex, insidias Massiliensibus struit. Itaque solemni Floraliorum die multos fortes ac strenuos viros hospitii iure in urbem misit: plures* scirpis *latentes, frondibusque supertectos induci vehiculis iubet.* Et infra: *latentesque de* Scirpis *protaluntur.* Et haec de Fisca sirpeaque satis. — *Autumnali vero die*, ne nobis aduletur, in causa sunt ex hoc ipso libro (sic enim Charisius appellat) ii versus

---

Burmannus quoque corrigit *in ore sonat*, *quemadmodum* (ipse addit) *Aldus, Scaliger et Pulmannus ediderunt.* V. op. lib. cit. pag. 713.

(6) Quamvis Burmannus edidisset: *Sunt etiam croceo violae de flore corollae*, non adspernandam tamen eam dicit lectionem, quam Tollius invenerat in duobus codd. Vossianis, et ipsemet in uno Leidensi, scilicet: *Sunt et Cecropio iunctae de flore corollae.* Heynius quoque ita edidit. V. pag. 205. vol. cit. Quae sane lectio Parrhasianae profecto quoad omnia congrueret, si pro *iunctae vinctae* potius haberet.

(1) Burmannus ibid. *Sirpea, Aldina editio.*— Heynius similiter: sed pro *fisca* legit *fiscina in ed. Aldina*, quasi legendum esset: *Sirpea fiscina siccat*, quo suus stet versui numerus. Probat tamen, ex fide codd. allatam pentametri lectionem, scilicet:

Sunt autumnalis cerea pruna Deae:

quam invenerat quoque in *edd. Junt. et Aldina.*

Quid iuvat aestivo defessum pulvere abesse :

Et paullo post :

Si sapis aestivo recubans nunc prolue vitro.
Nunc cantu crebro rumpunt arbusta cicadae :
Nunc vere in gelida sede lacerta latet.

Et ita castigandum ex antiquis exemplaribus , quod illi simile est :

Sole sub ardenti resonant arbusta cicadis (1).
Nunc virides etiam occultant spineta lacertas. (2).

Itaque sibi ipsi repugnat poëta , nisi sua lectio restituatur. *Autumnalis cerea pruna Deae* , idest Pomonae , quam vocat *Autumnalem* , quia per eam anni tempestatem pomorum proventus est.

Nescio an fastidias haec ut laevia. Sed cur levia credantur adulterina ac subdititia , quae veluti naevi , ne dicam maculae , pulcherrimum turpant carmen , ut hoc :

Sed non e vasto est inguine terribilis ;

cum sit elegantius , et Poëtae suum :

Sed vasto non est ? etc.

Ad austeritatem priscorum respexit is qui mutavit hoc ;

Ah pereant cui sunt crispa supercilia (3) !

Sed et *contracta supercilia legimus* , et *subducta* ; *frontemque caperatam* , quod non absque superciliorum fit mobilitate.

Mors autem veniens , *vivite* , *ait* , *venio.*

Nihil insulsius aut vanius hac sententia , non Virgilii, sed imperitissimi Critici qui locum pervertit. Etenim Mortem nemo plusquam semel in vita videt , ut Epigrammatum scriptor apud Graecos ait.... Ergo qui potest admonere quemquam veniens ut vivat, quum recepta morte, non sit amplius vitae locus , nedum serum vivere? Placet igitur ita locum castiges :

Mors aurem vellens , *vivite* , *ait* , *venio* (4).

---

(1) V. Virg. Eclog. II. v. 13.
(2) Ecog. cit. v. 9.
(3) *In altero cod. Voss. pro prisca* , *legitur crispa supercilia* , *ut in ed. 1517* , *Aldus.* V. Burmann. pag. 715.
(4) *Mors aurem Vellens-est in cod. Bembi* , *ed. Aldina etc.* Burmann. pag. 718.

Quippe admonentis est *aurem vellere*. Virgil.

Quum canerem reges et praelia, Cynthius aurem
Vellit et admonuit (1).

Sic in antestationibus aurem tertio vellebant, ut ex Plauto discimus et Horatio, qui frequenter inducta mentione mortis, hortatur amicos, ut voluptati liberius indulgeant.

Et eleganter et vere Virgilius integro carminis argumento ostendit quam minimi sit hominum vita, quae versatur, a duobus monosyllabis *Est*, et *Non*. In eo librarius ex imperitia vitiavit antitheton

— sive negoti
Sive oti quicquam est, seu turbida, sive quietis.

Ubi sensus exigit *turbae* (2), quod etiamnum fidelia servant exemplaria. Quid autem uno elterove abhinc versu, nonne

— Saepe seorsis
Obsistunt dubiis,

pro *studiis* improbe substituit (3), ut infra,

Si controversiam dissentio, subiiciet Non,

pro: *Si controversum dissentio, subiiciet Non* (4)?

Nam quibus verberibus esset dignus, qui

Verbera serunt studiis, salva pietate loquentis,

impressit, pro *Verba serunt* (5)?

Illud autem miror ab eo non animadversum, qui dialecticum se profitetur,

Est lux, estne dies ergo (6).

Quid enim, vel quomodo collegit? Hammonius hanc sillogismi partem ponit in *differentiis*. Quare tu vide ne commodius antiqui codices:

Estne dies, est ergo dies? non convenit istuc (7).

---

(1) V. Ecog. VI. v. 4. et seq.

(2) *Sive oti quicquam est, seu turbae, sive quietis. — Sic editur in utraque Aldina Catalect. editione* (scilicet anni 1517, et 1534.), Burmann. op. cit. lib. V. pag. 414.

(3) *In Aldina : Saepe seorsis obsistunt studiis.* Idem, ibid.

(4) *Ita edidi ex Aldo.* — Idem : ibid.

(5) V. eumd. ibid.

(6) *Est lux, estne dies ergo-in Vetustis Catalect. editionibus* — bid.

(7) Ita edidit Burmannus, qui hanc Jano probatam lectionem pluribus in codicibus optimae notae offenderat. V. pag. 416. op. cit.

Paullo post occurrit offensaculum contra praescriptos numeros haud pervium :

Sed non esse diem mille certamina surgunt.

Adde huic adverbium *hinc* inter *mille* et *certamina*, si vis rectum gressum claudo carmini restituere. — Iniquus sim si ab eo qui nunquam bonum virum gessit, ut intelligat, boni viri partes et officia postulem. Te vero decet, Alde, virum plane bonum, viri boni diffinitionem a vitiis asserere.

Vir bonus et sapiens qualem vix repperit ullum (1).

Socrati fecit iniuriam, qui pro eo, quod erat *unum*, reposuit *ullum*. Quippe Socrates Apollinis Oraculo sapiens iudicatus est, ut Cicero, Plutarchusque refert, et Diogenes. Nec video cur expunxerit *prudens*, et *sapiens* intruserit. An bonitas iuncta prudentiae sapientia non est? Sed haec cognoscimus. Illud autem qua ratione mutavit: *Millibus e cunctis hominum*, quum recta lectio sit *e multis* (2)? Imbulbitat omnia: nam quum statim Maro subdat:

Judex ipse sui, totum se explorat ad unguem:

inde: *Quid proceres, quid leno procax, quid opinio vulgi* (3). interpolavit: *Vanique laevis, quid opinio vulgi*. Sapientis est non spernere quid quisque de se loquatur: unde Virgilius aequos et iniquos, bonos et malos his duobus vocabulis *procerum*, et *lenonis* amplectitur. Et sequitur:

---

(1) V. *De Viro Bono*. v. 1. — Damnatur haec lectio a Parrhasio tum quia *sapiens* pro *prudens* in hoc versiculo intrusum fuerit, tum quia *ullum* pro *unum*, quod a Vineto quoque improbatur. *Aldus solus*, Burmannus ait, *edidit*: *Vir bonus et prudens* etc. scilicet ex Jani emendatione. V. Anthol. Lib. cit. pag. 417.

(2) *Millibus e multis* — *Utraque Aldina* (edd. nempe 1517, et 1534). Burmann. ibid.

(3) *Aldina editio*: *quid leno procax*. — Et paullo post: *sed longe aliam lectionem hic solus dedit Aldus, in cuius utraque editione*:

Quid proceres, quid leno procax, quid opinio vulgi. Id. ibid.

Et quod mundus habet gyro teres atque rotundus
Extremis repetit labris, per devia sudat.

Operae pretium est videre quo pacto criticus invertat :

Securus mundi instar habens, teres atque rotundus.
Externae ne quid labis per laevia sidat (1).

Ego veterem lectionem tutatus, horum carminum veram (nisi fallor) sententiam domesticis auditoribus explicavi. Sed de his omnibus maturius ipse statues. Ab his autem, quae dicam, provocatio non exit :

Ne quid hiet, ne quis perturbet angulus, aequis
Partibus ut coëat.

Nam cui non apparet emendandum :

Ne quis protuberet angulus ?

ut et illud :

Indicet admotus digitis pollentibus ictûs,

pro *pellentibus*. Ex quo Persius :

Sonat vitium percussa, maligne
Respondet viridi non cocta fidelia limo (2).

Pari incuria deliquit in his :

Cur isti facto decus affuit ?

cum ratio poscat *decus abfuit* : et

Cur malus ante tuli ? non dicto, aut denique vultu
Perstrictus quisquam ? etc.

Nam dicuntur haec ex persona sapientis, qui offensus *pravis*, non *parvis* (3), ut perperam legitur, *dat palmam et praemia rectis.*

Non minus equidem vegetor hac Hortuli descriptione, quam Maro dum per eius flores errabat. Equidem sentire quodammodo videor, ineunte vere, *mordentia frigora blando sensu* (4); sic enim scribo, non, ut vulgati codices habent, *morsu*. Nec adeo nos afficit :

Errabam riguis per quadrua compita in herbis

---

(1) V. Burmann. ibid.

(2) V. Sat. III. v. 21. et seq.

(3) *Offensus pravis. Parvis*, *vitiose in vett. Catalect. edd.* Idem, ibid.

(4) Haec Burmannus : *Mordentia frigora blando Sensu-Edidi ex Petav. Leid. et editione Aldina. Mordentia frigora morsu-edd. Vicent. Brix. Venet. et Junt. Sed recte spirare dicuntur frigora quae mordent blando sensu, et hoc probat Cel. Oudendorpius, et Bar-*

quam, *in hortis* (1); et hoc animi gratia, illud naturae.

Caulibus et teretes patulis colludere guttas
Nox assueta diu fecerat in glacio.

Stupeo cur in hunc obrepserit locum alter ille versus:

Et coelestis aquae pondere tunc gravidos (2).

Elabora, mi Alde, elabora: nam plus operis et laudis expectat te, quam forsan animo praecipis. Adhuc in damno libros esse video, qui pro castigatissimis habebantur. Argumento sint haec, quae idem attuli, quaeque deinceps adferam plurima. Si quid quaestuoso illi librario cordi fuisset, unquamne impressisset:

Ambigeres raperetne vosis aura ruborem,

et non *Aurora*, ut mansuscripta retinent exemplaria (3)? aut *Ros unus*, *color unus*, et non *flos?* - Absolvunt fidem meam quae subeunt. Quid enim diversius quam recepta lectio:

Haec aperit primi fastigia celsa obelisci

ab illa veteri:

Haec aperit primae florens praeludia formae (4)?

Tu pro tua sollertia expendes, utrum magis accomodum. Ne admonitus quidem deprehendes:

Ecce et defluxit rutili coma punica floris

aeque aures non implere, atque sic:

Quam cito defluxit rutili coma ponica floris (5)!

Est enim acclamatio Tibullianae similis:

---

thius ad Claud. lib. II. de Laud. Stilic. v. 472. pag. 274. ubi initium adfert huius Elegiae. V. Antholog. T. I. lib. III. Epigr. CCXCII. pag. 702. et seqq.

(1) *Aldus in utraque editione 1517, et 1534, per quadrua compita in hortis.* Ita Burmannus, cui hoc probatum, quemadmodum Scriverio, et N. Heinsio fuit. Ubi supra.

(2) Quamvis hoc retineat in sua editione Pentametron, tuetur tamen Burmannus Parrhasianam hexamemetri lectionem, scilicet: *colludere guttas*, ut quae pluribus ab editionibus et *Aldina* probaretur. Ibid.

(3) *Ambigeres reperetne rosis Aurora ruborem — Optime sic ediderunt Aldus, Ascensius, Tornesius et alii... Incpta enim est lectio quae in Vicet. Brix. Venet. et Junt. ed. extat-raperetne rosis tunc aura ruborem.* Ibid.

(4) Edidit Burmannus damnatam a Jano lectionem; probatam autem in uno codice Leidensi offendit, sed improbavit. Ibid.

(5) Ratam habuerunt hanc lectionem Cel. Oudendorpius, et

Quum cito purpureos deperdit terra colores!
Quam cito formosas populus alta comas (1)!

Arbitrarium sit proximum pentametron, quod vulgo invaluit:
Dum loquor: et tellus tecta rubore micat.

In manuscriptis exemplaribus *nullo tecta rubore* legere malis, ut ad rosam referas iam marcescentem.

Age nunc, attende per initia Culicis, an
Alma Chimeraeo Xanthi perfusa liquore

servare placeat, an *Arna* mutare, quae Lyciae civitas a Stephano redditur, alio nomine Xanthos appellata, quum Xantho flumini statim subiiciatur (2). Utrique nostrum (si memini quae mecum loquutus) in sequens hemistichium videbatur emendandum:
Seu nemus Asteriae (3),

ut designetur Ortygia. Sed non ita diverso loco aliud:
Secura sit cura canenti:

meo periculo corrige:
Iure tibi sit cura canentis.

ut illa:
O bona pastoris, si quis non pauperis usum
Mente prius docta fastidiat, et probet illi
Munera luxuries praetiosis cognita curis.

Et non ut inscite nunc et legitur, et exponitur:
Omnia luxuriae pretiis incognita curis

... hic ut audaciam: sed audacia non est quae nititur antiquorum codicum fide, certaque ratione. Conferet aliquid ad emendatam lectionem prodere, quod alius antea nemo, quod sciam. Pastor a culice servatus est in Thessalia iuxta Thebas cognomine Phtioticas, id quod indicat Maro per haec:
Cum densas pastor pecudes cogebat in umbras:
Et procul alpexit luco residere virenti,
Delia diva tuo; quo quondam victa furore

Burmannus qui in tertio MSS. Leid. eam quoque offenderat. Et quod mirum, quo eam tueatur Burmannus, Tibullianam ipse profert auctoritatem, quam Janus heic usurpat.

(1) V. Tibull. lib. I. Eleg. IV. v. 25. et seq.

(2) Steph. Byzant. *De Urb.* T. I. pag. 196. T. II. pag. 28. edit. Lugd. Batav. 1694.

(3) *Seu nemus Asteriae* — *Etiam hoc a Bembo.* V. Heyn. ibid. Sed non a Bembo tantum, verum etiam a Parrhasio.

Venit Nictelium fugiens Cadmeis Agave
Infandas scelerata manus et cede cruenta.

Lucanus VI. Pharsalidos :

Atque olim Larissa potens ; ubi nobile quondam
Nunc super Argos arant : Veteres ubi fabula Thebas
Monstrat Echionias : ubi quondam Pentheos exsul ,
Colla caputque ferens supremo tradidit igni
Questa quod hoc solum nato rapuisset Agave.

Vide ut Lucanus Virgilio concinit. Agavem post caedem Penthei, nondum remisso furoris impetu, ex fuga Thessaliam petiisse , ibique eam resipuisse, solutisque filio iustis , ex nomine veteris Patriae , Thebas condidisse.

Quae si venissent in mentem lectoribus alioqui doctissimis , nec ii putarent argumentum Culicis in Boeotia accidisse , nec illi ambigerent , cur Echionias Thessaliae Thebas Lucanus appellasset (1). — Ab ingressu facile percipis hunc ex vulnere tardipedem versum curatione indigere :

Parvulus hunc prior humeros conteret alumnus :
pristinam valetudinem recuperabit , si substitues *humoris* pro *humeros* , et *conterret* pro *conteret*. Imitator Ennii Virgilius usque ad affectationem Senecae visus est , quem redarguit Gellius. Ego ut neutri subscribam , quum nostra aetate nihil extet Ennii , ita ab eo quaedam mutuatum cognovimus ex Cicerone et Macrobio , ut hoc Culicis :

Inquit : quis meritis , ad quae delatus acerbas (2).

(1) Inter illos , qui in Boeotia accidisse putant Culicis argumentum , Cl. Heynius habendus est. Is enim *Adnot. in Cul.* v. 105. ita ait : *Jam v. 108. seqq. locum, quo Culicis argumentum actum est , accuratius describit : est is lucus Boeotiae , Dianae sacer , idem ille , quo Penthei caede peracta mater Agave Bacchata pervenerat ; adeoque sub Cithaerone.*

(2) *Quis meritis, vett. edd. etiam Aldina.* Ita Heyn. ad v. 209. — Ennii versus a Virgilio heic imitati , quos frustra in Jani epistola quaesivi , isti videntur :

» O Tite , si quid ego adiuto , curamve levasso ,
» Quae nunc te coquit , et versat sub pectore fixa ,
» Et qua deprimeris frustra noctesque diesque ,
» Ecquid erit praemii ?

V. Q. Ennii fragm. ab Hieron. Columna conquisita etc. edit. Neap. 1590. — Cetera Parrhasianae epistolae desiderantur.

AULI JANI PARRHASII.

Carmina quae extant,

Ex variis auctoribus exprompta.

I.

In Julium Aemilium Ferrarium (1).

Quid tantum queritur se Julius urbe fugatum
 In sua cunctantem saxa referre pedem?
Non infesta bonis arguet vis ulla tyranni;
 Non furor, aut sceleri iusve piumve datum.
Hac sub gente Deum sedes Astraea reliquit,
 Insubriumque lares conciliata colit.
Summittit Megaera facem, summittit Enyo;
 Marsque cruentato Strymone purgat equos.
Ingenuas an non recidivas cernimus artes,
 Quas malus inque pudens ambitus obruerat?
Non te (crede mihi) iactas quae tempora pellunt,
 Aurea falciferi qualia ficta Dei:
Sed rudis insulsae petulans audacia linguae,
 Luxus, et omento pinguis aqualicolus.
Nil agis, infelix: gravis an fortuna recedet,
 Quum tecum mores, qui nocuere, feras?
Te licet in superas rapiat Cyllenius auras,
 Non tamen haud idem Julius esse potes.

II.

In Nautam (2).

Quum mea, Nauta, tuae violassent lumina gerrhae,
 Et tecum piceo schedia digna rogo;

(1) Dedit hoc epigramma in Aemilium Parrhasius proprio nomine. Querebatur ille se Mediolano discessurum; et discessus sui caussas in Gallos potissimum, tum res Insubriae moderantes, refundebat. Noster vero, qui Gallorum partes sectabatur, illius querelas hoc epigrammate retudit. Vid. Comment. P. I. §. XIV pag. 42.

(2) Ab Aemilio Ferrario, et a Damiano Nauta, propositis in foro epigrammatibus, quam dirissime Alexander Minutianus,

Qualia vel Nomadum nolint ructare bubulci,
Et sua constanter barda negavit anus:
Responsu (fateor) maledicta repellere nullo
Mens fuit, et iuxta ventris habere sonum.
At quia compositae plerumque modestia frontis
Ducitur arcani criminis esse rea;
Impetus inque dies fatui temerarius oris
Crescit, et impuni lingua proterva tibi:
Pauca (Lycambaeo non ut par esset Iambo),
Sed pede coepisti quo prior ipse loquar.
Quis precor Aemilii seros damnare recessus
Audeat, ad patrii squallida tesqua soli?
Dii facerent nunquam, rastro contentus avito,
Haec ab Haronensi tecta subisset hara;
Aut saltem primis viginti pulsus ab annis,
Purgasset celeri pulpita docta fugâ.
Non mihi per geminos sudaret meta labores,
Nec tereret nostras orbita bina rotas.
Imbibitosque simul pueris evellere mores,
Tedeat incassum quos didicisse senes.
Quaeque prius nullo splenderent pectora cultu
Lindia con magico sparsa liquore seges:
Cogere primitias doctis libare Camoenis,
Et dare quae forsan postera saecla legant.
Ut desint aliae, Stygias si raptus ad undas
Hac una tantum tabe notatus eat;
Cara quod Insubrum fuerit tibi credier auctor
Pignora, quo nemo stultior esse potest:
Lassabit Manes angustaque Tartara poenis,
Non erit Inferni iudicis urna satis.
Tu ne potes quicquam, praeter scribliginis offas,
Et scelus ingenuos edocuisse tuum?

---

parum felix poëta, ageretur, propter edita abs se integra Ciceronis opera; id aegerrime ferens, tum Alexandri hospes, Parrhasius, hoc epigrammate ex tempore fuso, ut Furius Vallus testatur (apud quem leguntur tum istud, quum alterum iam datum et quae sequuntur usque ad n. IV.) eorum audaciam perfregit. V. Eumd. Vall. in Apolog. Jani Parrhasii.

Qui tria vix Getico non aspernanda tribuli
  Dicere continuo verba tenore scias.
At puto Socraticis nascentes legibus annos
  Informas? et agis qua via nota tibi?
Scilicet infanti comites alicaria mater
  Quae regerent vitae limina prima dedit.
Et non obscoenas Elephantidos ante tabellas,
  Quam ferulas nosti, grammaticasque manus?
Quidquid Smyndirides, quidquid Sybaritidos auctor
  Mollis Ion, et quam sima capella refert,
Monstravitque suis Sappho lasciva puellis,
  Omnia vesana condita mente tenes.
Et quem secubitus caelebs et vita deceret
  Rite sacrum, noctu putida moecha fovet.
I nunc, et manibus tractas quibus arma Priapi,
  Redde directo mystica liba Deo.
Te Scythiae delubra manent, noctesque Cotittus,
  Thyrsus, et Idoeae pervagus horror Opis.
Et tibi permittis quas novit fama Cathedras
  Carpere, censoris liberiore nota?
Quaerere quin etiam, quis nos huc appulit error,
  Tamquam sit nostrae causa pudenda viae.
Sidera sunt testes, et quam praestare iubemur
  Pura dies animi, non meruisse fugam,
Ceu quondam profugos vis dira tyrannidis egit
  Demaratumque Ephyre, Pythagoramque Samo.
Sic quoque pertesus non mollia regis Iberi
  Jura, pater Dauni movit ab Urbe pedem.
Aurea (me miserum) nondum vagitibus ullis
  Astra salutaram, flammiferumve iubar,
Jamque extorris iter tumido genitricis in alvo
  Carpebam, caeptae sarcina clausa fugae.
Denique post longas terraeque marisque procellas,
  Contigit optatam nostra phaselus humum.
Haec brevis exilii ratio tibi reddita nostri
  Sit satis, et quare Gallica tecta colam.
Tu modo, siqua fides, (nec nos minus aequa rogamus),
  Quinam te genuit (si potes) edc pater.

Vere prius flores, aestu numerabis aristas,
  Quantaque Marmarico squallet harena solo;
Et prodes Hecubae matrem Cisseidos, et quo
  Nomine Pelides Scyria Virgo fuit.
Nec minus ampullas efflas, et stemmate turges,
  Quam si nigra tibi lunet aluta pedes.
Ut sis (quod iactas) Cyrnaeis primus in oris:
  Ultimus atque omnes es miser infra homines.
Sed puto iam tumidae flaccescunt vela carinae;
  Et piget invalidas conseruisse manus.
Quamquam sera parum potior sententia prodest,
  Nec magis exanimi, quam clypeata manus.
Si tamen ardentes animi compescere fluctus,
  Et pote dentatis ora tenere lupis;
Nos quoque vulnificum stringemus parcius ensem;
  Constiterit multum nec tibi sera quies.
Sin minus; imbelles Elegi, Musaeque valete,
  Liventis Satyrae saeviat ira mihi.
Criminibusque tuis accendam patribus aures,
  Infelix remex, Navita, rursus eris.

III.

In Nautam (1).

Passus eram rabido latrantem Sirion astro,
  Et dederam molli membra levanda toro.
Febre laboranti mihi quum tua reddidit otus
  Carmina Sithonia candidiora nive.
Gratia magna tibi; (quod non praestabat Apollo)
  Aridus a tacto corpore languor abit.
Utque Cleonaeos impune feramus hiatus,
  Talia saepe mihi carmina mitte precor.

---

(1) Scripsit hoc epigramma Parrhasius Alexandri nomine, qui, eo proprio charactere exscripto, misit ad Nautam, a quo novis carminibus lacessitus fuerat. V. Fur. Vall. ibid.

IV.

In Eumdem (1).

Dicite, cura mihi stultissima carmina sitis,
Vos huc unde parum dextera traxit avis?
Non estis Nautae, quum nec sentina sagacem
Offendat nasum, spurca nec aura lupae.
Cinyphioque reor longe tentarer odore,
Ex olida custos si vomuisset hara.
Sed quamvis opicum, raucumque et pingue sonetis,
Illius ut medio stridet avena die:
Alterius tamen esse liquet: ne fingite nomen
Artificis; ni iam vultis adire rogos.
Cessatis frustra; non dissimulare licebit;
Nec me lurchonis (credite) fallit opus.
Quaeritis unde sciam? Non Phoebus pandit Apollo,
Sed qui vinoso spirat ab ore vapor.
At tu qui crapulam ructas: ne pollue Musas;
Omnibus esse palam ni tua facta cupis.

V.

In Eumdem (2).

Quo me rapis Bromie tuo nimis gravem
Furore? Non est hic manibus aptus meis
Thyrsus, et inermes pudet agere; pudet damas
Agere, leonis obviam solitum pati
Murmura. Sed parce, Pater, parce: sequor quo
Trahis, sequor. Quid heu lachrymis rigant genas

(1) Quum non aequis viribus se pugnare in Minutianum, Parrhasii praesidio instructum, vidisset Nauta; alium sibi adscivit in bello socium, a quo in Aemulum suum epigramma quoddam obtinuit, quod proprio nomine misit. Deprehendit rem Parrhasius, et Alexandri nomine istis carminibus illud elusit, et Nautae astutiam patefecit. V. Fur. Vall. ibid.

(2) Etiam Minutiani nomine. V. Fur. Vall. ibid.

Tristes Camenae, crinibusque defluis
Faciem luto turpem secant? prohibe Nautam,
Prohibe diutino situ ratis olidum
Sentique laticis uvidum fetore, per
Amoena Tempe ferre tabificum pedem.
Viden oblitum sese favilla fornicis
Ut ausit abluere caballino fonte
Improbus? Ut inde procul fuget sorores.
Manete Virgines; nec ignavis date
Terga nebulonibus: hic licet pariter cluant
Remex haraeque custos. Adeste simul,
Adeste; vindicemus impium scelus.
Satis superque, ne timete; satis est in
Me virium: firmate tandem vos gradum.
Absiste tu: quid o profane polluis hos
Lucos lacusque? non proseda te parens
Excrevit Aoniis parem lavacris: abi
Ad balnea lupanaris, et Suburrae cryptam,
Ut pessimorum pessime soles. An putas
Fas tibi, vorax et impudice leno, fas
Penetralia temerare sacrosancta? non
Ita (mihi crede) Delium et novem Deas
Latent tua, nefande, scelera, velut (heu!)
Miseros ter et quater patres, oves lupo
Qui credidere. Sed et eos serus dolor
Aliquando tuum in caput exciet, rescient quum
Data sibi verba, perniciemque liberum,
Quorum bonam indolem profligas perditis
Moribus, et infatuatos dimidio plus,
Quamque acceperis, stultos reddis. Apage
Exempla ni in te omnia properas experiri.
Deosque et homines, quamque nolentem premis
Senio levare gravissimo tui terram?
Quin fugis? an animos tibi facit subalpinus
Hic rupico, qui pinum graditur vibrans
Pedum, suisque tegitur hispidae tergo,
Fassus genus avitum? Ades ades huc insulse cum
Bubulis peronibus. Tibi quis non bene
Deus advocatus exponit hanc aleam?

Idem ne reris ignave, et suum lustra
Volantis et latices equi. Quum squallidas
Muscoque succerdisque labias velis
Hic proluere? facesse excors, neque
Si cerealibus iterum semelve sciveris
Cantare Julos, unde nomen est tibi,
Ideo potes canis coloribus sono
Rudentis obstrepere asini. Satyrus ita
Apollini luit vices; Thamyras quoque
Sororibus. Non omnibus statim datur
Ovile permutare Phocidis iugo.
I iam directa tuis cum sacculis
Saltus ad invios, et vallium cava
Qua te nec alites canore garrulo, nec
Aquae fluenti mulceant susurratu,
Sed noctuae strigesque luctifico sono.
Illic peritum te licet efferas,
Et fistulae, calamique tibiaeque sine
Rivali grunnientium gregi, quod ut
Quod est Deorum, fecerunt diu prius.
Non Insubrum iuventus inquinata foret,
Nemo nec haustus turbidos Gorgonei
Lacus bibisset, impetu furoreque
Fanaticae mentis. Sed ecce iam solum
Uterque vertit: hoc placet; bene est, bene est.
Aer fugatis nebulis purus nitet.
Io, Io Paean (choros ducite) io, io.
Agite Deae, iam praesidia linguite collis,
Nec amplius nares fovete frondibus,
Castis Amiclaeae puellae; abit abit
Olidus caper. Valete iam mihi semper
Defensa Numina. Bromius me deserit,
Genua labascunt; ecquis excipiet? cadam.

VI.

In obitu Marci Antonii Rubreni Mediolanensis.

ELEGIA (1).

Te ne etiam, Rubrene puer, mors improba nobis
Surripuit, tantam nec verita invidiam est?
Ausa ferox Stygio praecludere lumina somno?
Lumina Ledaeis aemula sideribus.
Non illam Latias, Graiasque exculta per artes
Lingua? nec arguti pectoris ingenium?
Non movit studiosa manus perarare tabellas
Docta? notisque apices ducere praepetibus?
Quid te saeva iuvat producere funus acerbum,
Et vitam primis rumpere staminibus?
Forsitan emenso visus tibi senior aevo est,
Dum menses animi dotibus adnumeras?
Quo geminum sub fronte iubar? quo lactea cervix?
Et coma, vix Phaebi crinibus inferior?
Quo mores abiere pii? quo mentis acumen?
Quo tenera virtus indole praequoquior?
Omnia (proh!) caeco mersit Libitina barathro;
Totque bona obscuras vertit in exequias.
Editus ecce mihi labor est in carmina Claudi,
Nec leget (heu!) vita Marcus amabilior.
Non tamen efficiet quin mecum, Marce, legaris;
Utque tuum nomen defluat ex animo.
Illa licet tulerit mortalia membra caduci
Corporis, atque animae perpetis, exuvias:
Post obitum vives, properataque fata superstes,
Et vincet de te saecula pars melior.
Non quod uterque parens ingenti mole sepulchrum

(1) Prodidit primum haec elegia Mediolani anno 1501, ad calcem Commentariorum eiusdem Parrhasii in Raptum Proserpinae Claudiani; et ad Catellianum Cottam apposita epistola data fuit. Legitur quoque apud eruditum Josephum Antonium Saxium, in perdocto opere Hist. Typograph. Litterar. Mediol. col. CCCCXXIX.

Condat, et alta tuos urna tegat cineres :
Marmora tempus edax, et busta superba vetustas
Sternet, et artis honor sentiet interitum.
Sed quia te doctae deflent monumenta Camoenae
Certatimque tuos scribitur in titulos,
Suscipient te Fama loquax, serique nepotes,
Canaque venturo tempore posteritas.

Ad Divam Luciam.

EPIGRAMMA (2).

Lucis Diva potens, nostri miserere, iuvaque
Lumina scrutandis fessa voluminibus.
Si dabis hoc, versu referam tormenta, gravesque
Carceris aerumnas, tristeque supplicium,
Calcatumque feri imperium furiale tyranni,
Cunctaque praeceptis posthabita esse Dei;
Avulsos oculos, desectaque colla securi,
Hassatasque manus armaque carnificum;
Farre etiam pastus domito ferventibus undis,
Festo rite die sobrius amne bibam (1).

---

(1) Prodidit primum hoc Jani ad Divam Luciam poëmation Neap. anno 1786, cura quidem humanissimi viri Francisci Xaverii Gualterii, qui Viti Mariae Iuvenatii carmina quum edidisset, nonnulla alia adpendicis loco addiderat variorum poëtarum Saeculi XVI. inter quae istud Parrhasii, quod Romae ex codice Nicolai Rossii civis Florentini, exscribendum curaverat. V. *Viti-Mariae Iuvenatii Poëm.* Neap. 1786, ex Typograph. Simon. pag. 85.

Ad Luciam.

ELEGIA (1).

Lucia luce magis misero dilecta, meisque
Te sine iam caecis unica lux oculis,
Quid moestam sine luce domum, tristique gravatam
Nube, quid ehu miserum deseris in tenebris?
En viret omnis ager, reparata populus umbra
Pressa dat implicitis oscula palmitibus.
En rapit in Venerem pecudesque, hominesque Deosque
Oleniae proles, Cloridos et Zephyri.
Dulce queruntur aves, nunc omnibus omnia rident,
Candidiorque diem fert nota Luciferi.
At mihi iam toto penitus Sol excidit Orbe,
Luna nec Eoo surgit ab Oceano,
Obductumque latet spissa caligine Coelum,
Nec sunt Astra meis lucida luminibus.
Horrida restat hyems, uni mihi nubilus annus
Labitur, et vultu cuncta premit piceo.
In Chaos antiquum per me licet omnia vertas,
Jupiter, inque unam semina congeriem.
Vel caput hoc pariter Superisque, Hereboque mihique
Invisum saevis obrue fulminibus.
Redde vel amplexus, ereptaque gaudia amanti,
Gaudia, quae Divum non tulit invidia.
Sed neque iam reddas, aptatave fulmina mittes,
Nostra nec ignavum te mala sollecitant.
Nil hominum lacrymae, nil te suspiria tangunt,
Dum tibi Dardanio sit bene cum puero.

---

(1) Prodidit primum haec elegia Parrhasii ad Luciam, Neap. 1534, cum nonnullis aliis poëmatiis amatoriis Clarii Leonardi Schipanii, et Auli Pyrri Cicadae eiusdem Parrhasii civium: deinde anno 1771, ad calcem editionis *De rebus per epist. quaesitis*, a Xaverio Matthaeio curatae.

Quantum erat, o Superi, fessae post taedia vitae,
Hoc unum misero linquere confugium?
Sed quid ego superos, quid Numina surda fatigo?
Tu mihi cara potes plus dare quam Superi.
Huc ades, et tecum blandissima tempora veris,
Et tecum referes aera sudificum.
Tu potes hunc animum tristi caligine mersum
Protinus, excussis nubibus, erigere.
Erigere hunc animum pulsat qui limina mortis,
Pectore iam vacuo si quid inest animi.
Quid quod adest, et abest? in me sua iura novavit,
Nec natura vices lege regit solita.
Viximus, et nobis nil iam nisi restat imago
Vana, sed in poenam sensus inest animo.
Exsere, Parca, manus, et aduncos Atropos ungues
Exsere, quid luctam protrahis in senium?
Quid differs mea fata ferox? an tu quoque nostras
Iurasti in poenas impia cum Nemesi?
Non potes, ignoscas, mea stamina rumpere, nullum
Namque tibi ius est corpus in exanimum.
At tibi, si quid adhuc in pectore restat amoris,
Lucia, vel teneri si quid inest animi,
Succurras, quod me flens flentem Lyda reliquit,
Dum tibi posthabita est, flosculus Ausoniae.
Succurras, quod multa tuis sub legibus ultro
Dura tuli, nemo quae ferat ingenue.
Succurras, quod te votis a morte recepi,
Cum foret in medico nil opus auxilio.
Vota dedi novies, Stygias ut raptus ad undas
Pensarem pro te manibus hanc animam.
Nec piget esse reum voti, nec deprecer umquam
Damnari, dum tu cara mihi superes.
Pro quibus officiis, nec amoris, ut ante solebam,
Posco vicem, non sit quisque alius potior.
Una mihi satis est, satis est mihi gratia, si dum
Hinc fugit ad te animus, praecipitem eiicias.
Ut quoniam tecum mihi vivere fata negarunt,
Lucia, nunc saltem posse mori liceat.

CATALOGUS

Omnium Veterum Scriptorum, qui ab Aulo Jano Parrhasio vel commentario instructi, ab ipso vel ab auditoribus suis typis editi, ad nos usque pervenerunt.

Cornelius Nepos de Viris illustribus, ab A. Jano Parrhasio, et Catelliano Cotta, qui editionem curavit, ex probatissimis codicibus emendatus, Mediol. 1500. V. Comment. P. I. §. XV. pag. 47.

Sedulii Carmen Paschale, et Prudentius. Mediolani. 1501. in 8.° V. op. cit. §. XIV. pag. 45. Extat in Regia Bibliotheca Borbonica.

Commentarius in Raptum Proserpinae Cl. Claudiani. Prodiit primum *Mediolani pridie Kalendas Sextiles anni 1501*, Catelliano Cottae dicatus; de in etiam Mediolani anno 1505, et Japhredo Carolo Insubriae Penatus Praesidi a Parrhasio nuncupatus. Extat et altera eiusdem Commentarii editio sine anni, loci et typographi nota, quam Eruditus vir Petrus Mazzuchellius in suis apud me Excerptis MSS. Venetiis, haud perperam, putat confectam anno 1502, ut quae eadem charta, iisdemque impressa sit cum graecis, tum latinis characteribus, quibus constant tum epistolae Philelphi Venetiis eodem anno in *aedibus Joannis et Gregorii de Gregoriis fratres* (sic) editae; tum Persii Satyrae, quae anno 1516 etiam Venetiis per *Joannem Rubeum Vercellensem* in lucem prodierunt. Titulus praeterea huiusce anonymae ab illo utique differt principis editionis. In eo notandum illud *Nuper impressus*, quod alteram editionem eiusdem operis aperte innuit; nec non et illa: *Opus me Hercule aureum ac omnibns expetendum*, quae avidi typographi iactantiam produnt. Iniuria igitur eruditissimus Joseph Antonius Saxius hanc ipsam putat principem Commentarii editionem, et Mediolani confectam tenet anno 1500; et iniuria quoque ipse secundam dicit, et Japhredo Carolo nuncupatam, quae anno 1501 prodiit, in lucem et nobis est prima (V. Hist. Litter. Typogr. Mediol. pag. CCCCXXVI. DCVIII. etc.) Praeterquam quod eam Catelliano Cottae oblatam constat ex epi-

stolis, quibus ipsa exornatur ; praeter quoque mox allatas Mazzuchellii rationes, quae contra invictissime pugnant ; Japhredus Carolus, qui Praeses Insubri Senatus a Parrhasio in epistola nuncupatoria dicitur, èam non anno 1501, sed 1503 dignitatem obtinuit, quam pluribus annis exercuit, ut constat ex Historicis. Ratio autem qua Venetus typographus nomen suum, anni et loci notam praetermisit haec una videtur, scilicet ne flocci apertissime facere videretur, atque privilegium violare ad quatuor annos valiturum, quod de eo opere tulerat Dux Mediolanensium, et Rex Gallorum Ludovicus XII, cum quo Veneta Respubblica pacem eo tempore atque foedus inierat. —

Tertiam memorat eiusdem Commentarii editionem anni 1511 Colomesius. (V. *Cimelia Litteraria.* Cap. IV. pag. 282. edit. Fabric. anni 1709.). Prodiit denique Basileae 1517, et 1539, in 4.° apud Robertum Winter: Parisiis, 1602 etiam in 4.° Extant in R. B. B. cdd. 1501, illa sine anni nota, et Basil. anni 1539.

P. Victor De Regionibus Urbis Romae. Mediolani. 1503. V. Comment. P. I. §. XXIII. pag. 65. Extat Romae in bibliotheca Albana.

Probi instituta artium, et aliorum grammaticorum fragmenta. Mediol. 1504. in fol. Extat in R. B. B.

Valerii Maximi priscorum exemplorum libri novem, cum laudatis Olivarii commentariis, Hermolai Barbari, Georgii Merulae, M. Antonii Sabellici, Jani Parrhasii, et aliorum. *Codicem Theophilus Chalcondyles emendavit ab antiquo fidelissimoque exemplari Jani Parrhasii. Mediolani 1506. in folio.* V. op. cit. §. XXIV. pag. 69. not. (2). Extat Mediolani, in bibliotheca Ambrosiana

Epistola ad Michaëlem Riccium I. C. Neapolitanum. Data est haec epistola Parrhasii *Mediolani Kal. Oct. MDV.* Sed Romae impressa eodem anno in principio operis eiusdem Riccii, cui titulus : *De Regibus Hispaniae, Hierusalem, Galliae* etc. *Historia.*

Clausulae Ciceronis ex epistolis familiaribus excerptae. Veiceti e 1808, in 4.° V. op. cit. §. XXV. pag. 84.

Breviarium Rhetorices, ex optimis quibusque Graecis et Latinis auctoribus depromtum. Veicetiae 1509. V. op. cit. ibid. Extat in R. B. B. cum Jani additionibus et emendationibus MSS. Prodiit etiam deinceps Basileae, apud Rabertum Winter, anno 1539, in 8.°

Probi instituta Artium, et Catholica : Cornelius Fronto, de nominum verborumque differentiis, et Phoca grammaticus de aspiratione. Veicetiae, 1509 in fol. Extat in R. B. B.

P. Ovidii Nasonis Heroides, *cum interpretibus Hubertino Crescentinate*, *Jano Parrhasio* etc. *Venet. apud Joan. Tacuinum de Tridino*, 1522. in 4.°. — Brixiae, apud Ludovicum Britannicum, 1551, in 4.° — Lugduni, 1535, in 8.° — Coloniae, 1560, in 8.° — Lugduni 1567 in 8.° — Venet. ap. M. Antonium Zalterium, 1587, in 4.° — Francof. 1601, in fol. ap. Wechel.

P. Ovidii Nasonis Metamorphosis, *cum notis Lavinii*, *Raph. Regii*, *Phil. Beroaldi*, *Jo. Baptistae Pii*, *Jani Parrhasii* etc. Lugd. 1527, in 4.° — Venet. 1585, in fol.

Auli Jani Parrhasii Commentarius in Art. Poët. Horat. a Bernardino Martyrano in lucem assertus. Neap. 1531 in 4.° apud Joann. Sultzbacchium. Extat in R. B. B. — Lugduni, 1536. — Venetiis, 1553. — Parisiis, 1553.

Auli Jani Parrhasii Epistola ad Aldum Pium Romanum. Data est haec epistola *Veicetiae* anno, fortasse, 1508; sed typis edita est *Venetiis, apud Paulum Manutium Aldi F.* anno 1556. in 8.°, inter epistolas *Clarorum Virorum*. Recusa deinceps fuit Coloniae Agrippinae, 1586, in 8.° — Extat editio Aldina cit. in R. B. B.

Jani Parrhasii Epistolae, Oratio, et annotationes in Ciceronia Orationem pro T. Annio Milone. Parisiis. 1567. in 8.° — Annotationes et Orationem typis denuo commisit Gruterus in op. cui titulus : *Fax Artium*. etc. T. I. a pag. 820 usque ad 827.

De Rebus per epistolam quaesitis Sylloge IV. Parisiis. 1540. in 8.° — Ap. Grut. op. cit. T. I. a pag. 721. usque ad 877. — Neap. 1771, in 8.°

FINIS.

ERRATA	CORRIGE.
Pag. 1. not. (2) Thomas Acetus, etc.	(2) V. Spiriti, *Memor. degli Scrittori Consent.* pag. 24. — Morelli, *De Patric. Consent. nobilit.* — Sambiasi, *Ragguaglio di Cosenza*, pag. 139. — Xaver. Matth. *Vit. Parrhas.* praepos. edit. *De Rebus per epist. quaesit.* Neap. 1771: et quotquot de Jano nostro scripserunt. — Thomas Acetus etc.
33. V. 1, et 2. Chalcidius (2), Procilius, aliique nonnulli (3).	Chalcidius, Procilius, aliique nonnulli (2).
8. excepit voces (4), et Sulpicium veluti praeceptores coluit;	excepit voces (3), et Sulpicium veluti praeceptores coluit (4);
88. Not. (4) Renourd, *Annal. dell' Imprim. des Ald.* T. I. pag. 130. T. III. pag. 49. et suiv. ed. Paris, 1825.	Not. (4) V. Parrhas. *Epist. MSS.*
89 Not. (1) V. Parrhas. epist. MSS.	Not. (1) V. Renouard, *Annal. de l'imprim. des Ald.* T. I. pag. 130. T. III. pag. 49. et suiv. ed. Paris. 1825.
195. 196. 197. Not. (1) Prodidit	Prodiit
199. V. 14. de in	dein
15. Penatus	Senatus
28. *omnibns*	*omnibus*
33. prodiit, in lucem	prodiit in lucem,
42. Rabertum	Robertum
200. 11. Respubblica	Respublica

Pag. ver. not.			ERRATA	CORRIGE.
IV.	6		montes	mentes
IX.	14		ce -	
X.	2		ravit ;	ravit :
XI.	5		annis ,	annis
XIV.	35	(1)	V. Fabri.	Fabric.
XX.	33	(8)	Hist. Typograph. Litter.	Hist. Litter. Typograph.
XXI.	33	(3)	ita	ista
XXII.	10		*Etruscas inscriptiones , et Tabulas Eugubinas Latina interpretatione tentatas.*	*Etruscas , 3.° et Oscas inscriptiones , et Tabulas Eugubinas.*
XXIII.	13		sui.	sui ;
2	21	(2)	Matthaei ,	Matthaei
3	21	(1)	Zavarron *ibi , pag. cit.*	Zavarron. ibid.
4	21	(1)	sollecitudine	sollicitudine
10	27		ecolendas	excolendas
11	14		hise	hi se
12	31	(2)	*or-*	*ora-*
14	2		promeriis	pomeriis
16	17		Raudini	Reuclini
17	10		lite -	lite-
	21	(1)	Neap. —	*Neap.*
18	13	(3)	*Aragonsi*	*Aragonei*
25	4		Cyminus	Cyminius
	28	(1)	Sosipatris	Sosipatri
30	27	(1)	*coniuxit*	*coniunxit*
31	27		*pater , addictus*	*pater , fatis addictus*
35	5		cepit	coepit
37	24	(4)	Mazuchellius	Mazzuchellius
38	27	(2)	Mazuchellio	Mazzuchellio
41	8		*Nauta vacaret ,*	*Nauta , vacaret ,*
44	4		cepit	coepit
45	26	(7)	illus	illius
47	4		extitisset	extitisset ,
48	12		pulsu	pulso

Pag.	ver.	not.		
69	6		pudentisque	pudendi sque
72	6		egre	aegre
	18		*panificis.*	*panifici.*
75	29	(2)	V. Parrhas. *Orat. ad Vicent.* fortasse, inter MSS. Lat. Reg. Bibl. Borb.	Parrhas. *Epist. ad Michaël. Ricc.* praep. op. eiusdem Riccii, cui titulus: *De Regibus Hispaniae*, *Hierusalem* etc. *Historia.* edit. Romae. 1505.
	36	(3)	Orat. cit.	Orat. ad Vicent. inter MSS. Lat. R. B. B.
78	11		!	?
80	36	(2)	*Vaicet.* aute	*Veicet.* ante
81	1		nonuullas	nonnullas
91	27		*preemisi*	praemisi
92	23		*snmma*	*summa*
		(4)	*Epist. MSS.*	*Epist. MS.*
95	33	(1)	Gudd.	Gud.
	34	(2)		
	36	(4)		
98	25		*referet*,	*referet*
104	4		*caeperat*	*coeperat*
113	14		*pereolvendam*	*persolvendam*
117	26		*oliva.*	*oliva*
121	29		Joh. Camers.	Julianus Camers
123	29		Letterat.	*Litterat. Ital.*
125	14		rastituit,	restituit,
	20		extat	extant
126	39	(1)	1505.	1501.
128	30	(5)	fiiius	filius
140	18		*nam*	*num*
142	28		coventus	conventus
144	20		haereditatem	hereditatem
146	33		occupatae	occupata
154	36	(2)	post quam	postquam
156	25		dicendnm	dicendum
	35		*saeculos*	*sacculos*
158	18		Venetiam	Venetias
	23		quem	quum
169	9		supertes	superstes

Pag.	ver.	not.		
171	12		spoctatissima	spectatissima
	19		*elarorum*	*Clarorum*
178	19		impudio	impedio
	35	(3)	Terent.	Terent. Eunuch.
			στρωμναῖ ς . . . . ἐκ πωμάτων	*στρωμναῖς ἐκπωμάτων*
186	5		*coronae* (6).	*coronae* (1).
	12		*Deae* (1).	*Deae* (2).
	27		(6)	(1)
	34		(1)	(2)
181	33	(2)	Ecog.	Eclog.
182	30	(1)		
	38	(6)	bid.	Ibid.
	41	(7)	lop.	Op.
184	36	(3)	Idem, ibid.	Burmann. ibid.
185	5		*gravidos*	*gravidas*
	12		*vosis*	*rosis*
	22		*ponica*	*punica*
186	31		*alpexit*	*aspexit*
189	22		con	non
	26		tabo	labe
190	19		Idoeae	Idaeae
193	4		fetore	fetore
	13		timete ;	timete ,
195	15		senıor	senior